



SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS
754z
B514

# COMMENTATIO

DE

# EURIPIDE PHILOSOPHO.

# COMMENTATIO

DE

# EURIPIDE PHILOSOPHO.

---

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

SAMUELIS SIGISMUNDI ROSENSTEIN

MED. DOCT. IN FACULTATE MED. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

JOANNES BERLAGE

AMSTELODAMENSIS.

DIE XI M. FEBRUARII. A. MDCCCLXXXVIII. HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM.

APUD E. J. BRILL.

MDCCCLXXXVIII.

MATRI CARISSIMAE

OPTIMIQUE PATRIS PIAE MEMORIAE.

Non moris observandi causa sed intimo animi sensu motus hoc loco gratias ago omnibus, quorum eruditionis fructum in studiis meis academicis percepi.

Ante omnes viri duo mihi commemorandi sunt. Primus tu, vir clarissime VAN LEEUWEN, promotor honoratissime, qui, quamquam tuas scholas frequentare mihi temporum ratio denegavit, tamen quasi diu discipulum habuisses in hoc opusculo conscribendo singulari me adjuvisti benevolentia, nullam non mihi navasti operam.

Nec minus grato animo erga te sum, vir clarissime Cornelissen, quem non solum in spatio academico sed etiam in gymnasii tirocinio praeceptorem habere mihi contigit, cuius summum in me studium et benevolentiam expertus sum quotiescunque auxilium tuum invocavi.

Beneficia vestra numquam mihi excident e memoria.

# PROOEMIUM.

Philosophandi studium naturae humanae insitum esse penitusque inhaerere videtur. Quamvis paucissimi expressam solidamque doctrinam inventione et cogitatione assequantur, nedum Platonem vel Aristotelem subtilitate scientia copia aequent, vix quisquam invenitur, nisi sit plane mente destitutus, quin aliquando meditetur de rebus humanis, de finibus bonorum, de mortis necessitate et obscuritate, — quin, ut brevi dicam, a singulis rebus et casibus humanis profectus cogitatione transeat in eorum universi generis commentationem.

Etenim fallitur si quis putat eruditiores tantum homines se ad huiusmodi quaestiones inclinare; saepe enim congrediaris cum hominibus e plebe simplicissimis, qui non minus studiose super universis rebus disserant; in quibus utile est neque injucundum notare orationis asperitatem et inopiam sententiis apte distincteque enuntiandis imparem.

Homo igitur vere est *ζῷον φιλόσοφον.*

Facile tamen intelligitur huic studio ingenia hominum, vivendi rationes, tempora alia favere, alia officere et obstare. Pars hominum multis in rebus, nec gravioribus tantum, ad agendum non progredi audent, nisi rerum summa superstitiose considerata certam viam invenerint; pars vero praetermissis deliberationibus, intimum quendam animi motum solum sequentes ducem ad actiones confestim progrediuntur. Huiusmodi hominum mores philosophandi studium profecto neque augent nec corroborant.

Tum ii qui semper in media versantur vitae arena, sive manibus victum quaerentes sive muneribus publicis fungentes, multo

minus incidunt in meditationes quam ii qui in scholarum umbra et otio vivunt mentis exercitationibus dediti; veluti qui in litore reclinatus procul contemplatur navem fluctibus jactatam, facilius inducitur in reputationes de navigationis audacia vitaeque fragilitate quam nautae ipsi strenue nitentes ne procellis vehementibus depressa carina undis mergatur.

Nec tunc quaestiones de rerum natura, de vita humana, de origine mali hominum animis surrepere solent quum religio stabilis et expressa, atque a nullo in dubium vocata, maximarum rerum explicatione fiduciam affert imperii divini, constanter et firmiter mundum moderantis, sed tunc praesertim, quum divinarum rerum scientiae non amplius fides habetur. Nam quasi mutua quadam vi simulac quaestionibus curiosis religionis fides est labefactata, eo ipso latius serpunt et labuntur quaestiones et dubitationes. Itaque philosophia neque umquam prorsus jacet quamdiu inveniuntur viri qui res subtiliores et reconditiores, nulla religione explicatas, pervestigare cupiunt, nec vero umquam magis universos occupat animos quam ubi evanescente opinione vulgari de diis etiam gravissimae quaestiones de mundi procuratione et administratione novam interpretationem desiderant.

Uniuscuiusque populi historia talia habet tempora; nimirum veterum quoque Graecorum, quibus fere inde ab Ol. 80 antiquae vitae rationes solvi et corruere coeperunt.

Inter viros tunc conspicuos non obscurissimum tenet locum Euripides poeta tragicus, in rerum divinarum et humanarum vulneribus indagandis et patefaciendis princeps, variorum remediorum investigator acrior quam peritior, assiduus magis quam felix, sed tanta certe sapientiae laude florens ut oraculum Delphicum eum hac in re Socrati secundum vocaret. [1])

Huius in scriptis igitur omnes quaestiones quae ab eo tempore Graecorum animos sollicitare coeperunt expositae et examinatae videri possunt.

Quare operae pretium est inquirere quid de quaque re senserit, quantum a superioribus discesserit, et hac quoque de causa utilissimum quod haec nostra aetas, multis in rebus illius

---

1) V. Schol. in Aristoph. Nub. 144

σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης·
ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.

aevo comparanda, de scriptore cum immodice laudato tum inique vituperato rectius et aequius quam aliae multae judicare posse videtur, quippe quem longe melius intelligat.

Hanc vero inquisitionem qui aggreditur in quantas incurrit difficultates! De poetae vita quae traduntur testimonia tenuissima e turbidis emanant fontibus, irrisionis veneno non raro pollutis. Raras illas guttulas purga, et vix quidquam plerumque restare videbis quod servasse sit operae pretium. Ager arandus igitur finibus operis poetici fere circumscriptus est. Et hoc quoque mancum et truncum ad nos pervenit. Quamquam duplo plures Euripidis fabulae aetatem tulerunt quam aut Sophoclis aut Aeschyli, tamen haec monumenta omnium eius operum quarta tantum sunt pars; ex ceterorum naufragio, quae saeculorum cursu perierunt, fragmenta servata sunt, quae, avulsa a suis sedibus recte et penitus intelligere saepe difficillimum est.

Sed etiam in tragoediis integris examinandis maxima prudentia opus est. Quum enim poeta tragicus, etiamsi proprias sibi sententias proponere velit, numquam suo nomine loquatur sed semper alius personae ministerio utatur, magna adhibenda est cautio ut in variarum personarum orationibus ipsius poetae mentem et animum deprehendamus. Hac in re peccaverunt plurimi scriptores, antiqui praesertim sed et recentiores, *τοῦ βουλομένου* verba quasi e poetae sententia dicta accipientes.

Reliqui autem scriptores quamquam in exordiis solent testari se optime periculum perspexisse, dubitare tamen possis, num id inter scribendum semper iis ante oculos fuerit. [1]) Nec mirum. Vix enim ulla ratio certa et stabilis videtur adhiberi posse ad distinguendum quid personarum moribus poeta accommodaverit, quid de suo dixerit animo. Quicunque in hac materia versatur, praeter conditionem moresque personae loquentis nullum fere habet quem sequatur ducem nisi suae mentis acumen, et paene dixerim divinationem [2]). Fortasse hoc tantum

1) Fallitur me judice Nägelsbach, Nachhomerische Theologie pg. 438 sqq., omnia quae a personis scenicis dicantur Euripidi attribuenda censens quod ab aequalibus prorsus neglecta distinctione ob ea laudatus et reprehensus sit; hos enim ea, quae improbarent, ne a malis quidem hominibus proferri sivisse. At hoc ipsum aequalium judicium vitiosum erat, qui Euripidis artem novam, ut postea passim videbimus, injuria iisdem legibus quibus ceterorum tragicorum opera judicaverint.

2) cf. Bouterwek: de philosophia Eur. pg. 6. Comm. soc. reg. Gött. tom. IV.

in universum tuto statui potest sententias saepius repetitas, et demonstrationes de rebus ab argumento alienis, actionis vel orationis tenorem impedientes, satis certo ipsius tragici mentem declarare.

Tum Euripideum opus quia non constans est et unum, velut Aeschyleum et Sophocleum, verum partes saepe discrepant a toto, quid potissimum sequendum sit incertus crebro haereas.

Plurimae denique fabulae quo anno compositae vel actae sint latet, quod si notum esset possemus per temporum cursum quid poeta sentiret certa via persequi; nunc vero ad conjecturas descendendum est.

Apparet igitur exiguam spem esse ut ex singulis indiciis certi aliquid possit effici, sed cunctis potius in unum quam accuratissime collectis opus fore ut aliquid consequamur.

Materies aptissime disponetur in varias partes quibus seorsum eius de rerum natura, de imperio divino, de rebus humanis, de morte sententiae tractandae erunt. Quia enim Euripides a constanti ratione et disciplina plurimum aberat, ad rectum judicium formandum potissimum habui non eam mihi sumere distributionem quam philosophiae posceret severa ratio, sed quae materies legenti mihi ultro offerret. Praemittenda autem videntur prolegomena brevissimum vitae summarium et expositionem quum chronologiae dramatum tum ingenii poetae continentia.

---

# PARS I.

## PROLEGOMENA.

---

## CAPUT I.

### DE EURIPIDIS VITA.

A plurimis auctoribus Euripides quo die Graeci apud Salaminem Persas vicerunt in ipsa illa insula natus esse perhibetur; quae testimonia tamen potius memoriae adjuvandae causa comparata quam ad scientiam accuratam exacta esse videntur. De parentum eius Mnesarchi sive Mnesarchidis et Clitus genere et conditione in diversas itur sententias. Aristophanes ceterique comici perpetuo riserunt matrem olera venditantem. Qui joci [1]) quamvis plerumque sint frigidissimi et democratia certe indigni, tamen vix prudentiores fuere qui eum ab hoc ortu quasi probro defenderent, nobilitatemque ei vindicarent.

Victus enim iste matris non videtur negari posse, quia Aristophanem hac de re errasse, aut mendaciis manifestis risum quaesivisse non verisimile est.

Monente oraculo in gymnastice primo se exercuisse et pancratii victoriam reportasse dicitur.

At mox ab hac aversus audire coepit eos viros, qui tunc temporis eruditionis copia florebant. Anaxagorae in schola eum

---

1) Quos vide ap. Nauck: de Eur. vita poesi ingenio in editionis eius tom. I. pg. XII.

educatum fuisse omnes testantur. De Prodici et Protagorae institutione minus constat; at vix licet dubitare poetam cum iis familiari consuetudine conjunctum fuisse; veluti cum Socrate, quo spectant variae comicorum fabellae, quibus philosophus poetae in tragoediis scribendis opem tulisse perhibetur. Narratur quoque aliquamdiu Salamini in spelunca horrida moratus esse. Rempublicam numquam capessivit; alienus a civium coetu vitam egit otiosam, studiis deditam, quo consilio libros sedulo comparavit.

Fuit tristi vultu, moribus severis. Histrionem et amicum familiarem habuit Cephisophontem. Crimine adulterii cum hoc juvene commissi uxorem Choerilam repudiasse et inde ab hoc tempore totum muliebre genus increpasse fertur. Certo non constat an alteram quoque uxorem duxerit.

455 a. Chr. n. Fabulas docere coepit Ol. 81.2 quinque et viginti annos natus; neque eius tragoediae nisi quinquies primas tulerunt; quater vivi poetae semel mortui, a filio scenae commissae.

Aetate provectus rogatu regis Archelai ad Macedoniam se contulit, et in itinere Magnesiae receptus summisque honoribus ornatus est. Magna gratia apud regem floruit et etiamtum quaedam scripsit dramata.

406 De eius morte (Ol. 93,2) ineptissimae traduntur fabulae. Plurimi auctores eum canibus discerptum, ceteri a mulieribus laceratum ferunt. Reputantibus autem omnes fere Graecorum homines illustres, praesertim poetas, mirificis mortibus periisse dici, haec quoque fabella alicui nugatori deberi videbitur. Quam credo perinde ac accusationes quasdam impudicitiae (a recentissimo scriptore illatas) satis redargui comicorum silentio, qui talia in suam rem convertere profecto non praetermissuri fuissent. A rege magnifice sepultus est; ab Atheniensibus cenotaphio inscripto epigrammate honoratus. Proditur etiam Sophocles in theatro cum choro pullis vestibus eius mortem luxisse.

---

# CAPUT II.

## DE FABULARUM CHRONOLOGIA.

Scribentibus quum jam aliquantum in via processerint, multa extra ordinem occurrunt, quae neque praeterire sine causae detrimento neque ita exhaurire possunt, ut si in prima operis institutione comprehensa fuissent. Lobeck. Praef. ad Aglaoph. p. VIII.

### § 1. *Dramata de quorum aetate exstant testimonia veterum.*

In Proöemio monui permagni nobis esse momenti aetatem compositionis tragoediarum cognoscere ut scriptoris cogitationes, temporum ordine dispositas, rectius persequi, discrepantias et mutationes melius intelligere possimus. Dimidia sane pars superstitum dramatum et multo major pars perditorum quo anno composita sint ignoratur, sed quia chronologiam scenicam nosse nostra tantum interest, nihil est negligendum quod aut certis testimoniis aut conjecturis assequi posse videamur.

Qua de re hoc loco exponam, antequam tragici ingenium et mores adumbrem, quoniam his ipsis cognoscendis eius opera omnium fere amplissimam praebent copiam.

Sequitur hinc primum series fabularum de quarum aetate exstant satis certa veterum testimonia.

| | | |
|---|---|---|
| Peliades omnium primum doctae sunt | Ol. 81,1 [1]). | 455 a. Chr. n |
| Cressae Alcmeon Psophidensis Telephus Alcestis | Ol. 85,2 [2]). | 438 |
| Medea Philoctetes Dictys Theristae | Ol. 87,1 [3]). | 431 |
| Hippolytus coronatus | Ol. 87,4 [4]). | 428 |

---

1) Βίος I in Poetarum scenicorum Graecorum editione Dindorfiana pg. 17: ἤρξατο δὲ διδάσκειν ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος κατὰ Ὀλυμπιάδα πα' ἔτει α', πρῶτον δὲ ἐδίδαξε τὰς Πελιάδας, ὅτε καὶ τρίτος ἐγένετο.

2) Didascalia Alcestidis ap. Dind.: ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος ὀλυμπιάδος πε' ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις, Ἀλκμέωνι τῷ διὰ Ψώφιδος, Τηλέφῳ, Ἀλκήστιδι. Fabularum superstitum titulos diductis literis exprimendos curavi.

3) Aristophanis ὑποθ. Medeae

4) Ὑποθ.

415 Alexander Palamedes T r o a d e s Sisyphus Ol. 91,1 [1]).
412 Andromeda H e l e n a Ol. 91,4 [2]).
408 O r e s t e s Ol. 92,4 [3]).
405 P h o e n i s s a e Oenomaus Chrysippus brevi ante Ol. 93,3 [4]).
406 Hypsipyle Antiope circiter idem tempus Ol. 93,2 [4]).

I p h i g e n i a A u l i d e n s i s Alcmeon Corinthiacus B a c c h a e mortuo poeta a filio Athenis docta sunt et igitur brevi ante
406 mortem composita videntur circiter Ol. 93,2 [5]).

Archelaum quoque sub vitae finem compositum esse maxima
406 cum probabilitate conjici potest: ergo brevi ante Ol. 93,2 [6]).

Quaedam fabulae cui anno ascribendae sint non traditur sed parodiis et significationibus Aristophaneis aliisve indiciis tempus potest definiri ante quod compositae sint necesse est.

428 Hippolytus velatus antecessit coronatum; igitur ante Ol. 87,4 scriptus est [7]).

Bellerophon, Phoenix, Oeneus, Ino ridentur (cum Philoctete et Telepho) in festivissima illa Acharnensium scena ubi Dicaeo-
425 polis colloquitur cum Euripide [8]). Scripta igitur sunt ante Ol. 88,3.

---

1) Aelianus V. H. II. 8: *κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἐνενηκόστην* 'Ολ. *ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ* Εὐριπίδης. *καὶ πρῶτός γε ἦν* Ξ. *ὅστις ποτὲ οὗτός ἐστιν*, Οἰδίποδι *καὶ* Λυκάονι *καὶ* Βάκχαις *καὶ* 'Αθάμαντι *σατυρικῷ*. Τούτου *δεύτερος ἦν* Εὐριπίδης 'Αλ. *κ.* Παλ. *κ.* Τρω. *κ.* Σισ. *σατ.* cf. quoque Schol. Arist. Vesp. 1326.

2) Schol. Aristoph. Thesm. 1012: 'Ανδρομέδαν..... *συνδεδίδακται γὰρ τῇ* 'Ελένῃ. 1060: *ἐπεὶ πέρυσιν ἐδιδάχθη ἡ* 'Ανδρομέδα, cf. Schol. ad Ran. 53, ad Av. 348.

3) Schol. ad vs. 371: *πρὸ γὰρ* Διοκλέους *ἐφ' οὗ τὸν* 'Ορέστην *ἐδίδαξε*.

4) Schol. ad. Ran. 53: *διὰ τί δὲ μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν*, 'Υψιπύλης, Φ ο ι ν ι σ σ ῶ ν, 'Αντιόπης; Ranae autem doctae sunt Ol. 93,3 (405); et e Phoenissarum argumento patet Oenomaum et Chrysippum eiusdem fuisse trilogiae.

5) Schol. ad. Ran. 67: *οὕτω γὰρ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος* Εὐριπίδου *τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμώνυμον ἐν ἄστει* 'Ιφιγένειαν *τὴν ἐν* 'Αὐλίδι, 'Αλκμέωνα, Βάκχας. cf. Βίος I apud. Dind. vs. 33.

6) Βίος I vs. 24 sqq. *ἐκεῖθεν δὲ εἰς* Μακεδονίαν *περὶ* 'Αρχέλαον *γενόμενος διέτριψε καὶ χαριζόμενος αὐτῷ δρᾶμα ὁμωνύμως ἔγραψεν*.

7) Argum. Hipp. cor.: *ἔστι δὲ οὗτος ὁ* 'Ιππόλυτος *δεύτερος καὶ στεφανίας προσαγορευόμενος. ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι.*

8) vs. 410—479. In vs. 433 memorantur Θυεστεῖα *ῥακῆ* ubi schol.: *ἤτοι τὰ τῶν* Κρησσῶν, *ἢ αὐτοῦ τοῦ* Θυέστου. Auctore Valckenaerio Cressae et Thyestes vulgo una fabula fuisse habebatur, duplici ornata titulo. Nuper vero v. clarissimus v. Leeuwen (Comm. de Aiacis Sophocl. authentia et integritate pg. 174 sqq.) eas duas fabulas fuisse ostendit, et aliis testimoniis allatis et ipso hoc scholio, quo contra ac V. cen-

Aeolus et Peleus acta sunt ante Ol. 89,1 quia in Nubibus 423
respiciuntur [1]). Stheneboea et Theseus ante Ol. 89,2 quia quibus- 422
dam Vesparum locis exemplo fuere [2]).

Melanippe sapiens ante Ol. 92,1 ut docent Lysistrata et Thes- 411
mophoriazusae [3]).

De Melanippe altera, *δεσμώτιδι*, nihil traditur. At vix me teneo quin de ea conjecturam temptem. Athenaeus (XVI pg. 613 D. sq.) ex ea servavit hosce versus (fr. 495 apud Dindorf):

*ἀνδρῶν δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος οὕνεκα*
*ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους· ἐγὼ δέ πως*
*μισῶ γελοίους, οἵτινες σοφῶν πέρι*
*ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα, κεἰς ἀνδρῶν μὲν οὐ*
*τελοῦσιν ἀριθμὸν, ἐν γέλωτι δ' εὐπρεπεῖς*
*οἰκοῦσιν οἴκους καὶ τὰ ναυστολούμενα*
*ἔσω δόμων σώζουσι.*

Haec verba vix in aliquem locum vere tragicum cadere videntur, itaque mihi nata est suspicio significari Aristophanem eiusque jocos cum liberrimos tum saepe illiberales. Ante omnia vs. 2 et 3 nobis persuadent totum locum memoria recenti propriae contumeliae esse suppeditatum. Euripides palam interrogatus quid de Aristophane sentiret non aliter, opinor, loqueretur; optime omnia in comicum quadrant. Nulla comoedia Aristophanea vivus tam ridicule in scena agitatus est quam Thesmophoriazusis; nempe ceterae comoediae ad tragoedias magis quam eum ipsum deridendum compositae sunt [4]).

Quare a veritate non multum mihi aberrare videor Melanippen
*δεσμῶτιν* statuens brevi post Thesmophoriazusas i. e. Ol. 92,1 411
scenae esse commissam.

---

suit disertis verbis duo dramata distingui jure declaravit. Cressas autem aliunde
novimus ante Ol. 88,3 in scenam prodiisse, sc. Ol. 85,2 vide pg. 15 Si accurate hoc 425 438
schol. scriptum est apparet Thyestem quoque Acharnenses antecessisse; alioqui scriptor dubitare non potuisset.

1) Schol. in Nub. 1371: *σημειοῦται δὲ τὸν Εὐριπίδου Αἴολον κ. τ. λ.* in 1154: *παρὰ τὰ ἐκ Πηλέως Εὐριπίδου.*

2) Schol. in Vesp. 111: *παρὰ τὰ Εὐριπίδου ἐκ Σθενεβοίας*, cf. schol. in vs. 1074; ad Vesp. v. 313: *ὁ λόγος ἐκ Θησέως Εὐριπίδου.*

3) Schol. in Lys. 1125 *ὁ στίχος ἐκ σοφῆς Μελανίππης Εὐριπίδου.* Thesmoph. v. 547: *Μελανίππας ποιῶν Φαίδρας τε.*

4) Lemniae, Phoenissae, duo Aeolosicones, Proagon, Acharnenses.

411 Erechtheus ante Ol. 92,1, quum vs. unus in Lysistrata expres-
sus sit [1]). Sed auctore Meinekio hanc fabulam etiam restrictiore
421 et 420 tempore includere possumus sc. Ol. 89,3 et 4, quum teste
Plutarcho (in v. Niciae IX pg. 529) eo tempore cives valde delectarentur choris huiusmodi versus cantantibus:

*κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν ἀράχναις·*

qui est ex Erechtheo versus.

## § 2. *Dramata de quorum aetate nihil traditum est.*

Restant complures fabulae superstites magnusque numerus perditarum quae nullis testimoniis definitae sunt. De perditarum chronologia prorsus desperandum est: de reliquis videamus quantum variis indiciis nonnulli viri docti assecuti sint. Sunt hae Andromache, Hecuba, Electra, Heraclidae, Hercules furens, Supplices, Iphigenia Taurica, Ion, Cyclops, Rhesus. Ultimas duas missas faciamus; Cyclops parvi est momenti; Rhesum spurium esse plerique admodum probabiliter contendunt.

De octo illis dramatis variae prodierunt conjecturae nitentes plerumque indiciis e rerum gestarum vel virorum politicorum significationibus sumtis, et metri conformatione.

De metro G. Hermannus (ad Medeam ab Elmsleio editam pg. 271,
420—417 sq.) observavit inde ab Ol. 89 incuriam et negligentiam irrepsisse
quae procedente tempore magis magisque invalescerent. Ne tamen hisce indiciis nimiam tribuamus auctoritatem monet virorum doctorum in iisdem examinandis et diiudicandis frequens discordia.

**H e c u b a** a plerisque ante Nubes Aristophanis ponitur i. e.
423 ante Ol. 89,1, quum Nub. 1165 sq. ad Hec. 172 sqq. expressi
videantur. Metri conditio non obstat [2]).

---

1) Schol. ad Lys. vs. 1131 *ὅλος ὁ ἴαμβος λέλεκται ἐξ Ἐρεχθέως.* Probabilius Meinekius hanc annotationem revocat ad vs. 1135, cuius exemplum ex Erechtheo servatus est in Anecdot. Bachm. I pag. 191 sq. (fr. 365 apud D.)

2) Hec. 172: *ὦ τέκνον, ὦ παῖ*
*δυστανοτάτας ματέρος, ἔξελθ'*
*ἔξελθ' οἴκων· ἄιε ματέρος αὐδάν.*

Nub. 1165: *ὦ τέκνον, ὦ παῖ*
*ἔξελθ' οἴκων, ἄιε σοῦ πατρός.*

Schol. annotant: *ὁ Εὐριπίδης ἐν τῷ τῆς Ἑκάβης δράματι δι' αὐτῆς φησιν· ὦ παῖ,*

Hercules furens a Dindorfio ob metri rationem Ol. 89,4 fere ascribitur, vituperatis conjecturis de rerum gestarum significationibus quas sibi alii deprehendere visi sunt [1]; ab Hermanno Ol. 90. In nostra inquisitione discrimen tam exiguum parvi momenti est. Ut quam minime a vero aberremus ponamus inter Ol. 88 et 90 [2]). 420 419—416 424—416

---

παῖ κ. τ. λ. Th. Fixius, de chronologia Eurip. pg. IX col. I, in editione Didot. putat Nub. 718 sq.:

φροῦδα τὰ χρήματα, φρούδη χροία
φρούδη ψυχή, φρούδη δ' ἐμβάς·

respicere Hec. 162:

φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες.

1) Imprimis Fixius seriem magnam earum enumerat, meo quoque judicio plerumque vanarum. Zirndorferi librum de fabularum Euripidearum chronologia inspicere non potui.

2) Fatendum est me ipsum quoque conjecturae indulsisse, quam quamvis incertam reticere nolo, spe adductus fore ut aliis fortasse prosim ad certiora reperienda. Lycus obtrectat fortitudini Herculis (vs. 157—164), qui scilicet numquam cum clipeo pugnet hastisve obviam ire audeat,

ἀλλὰ τόξ' ἔχων,
κάκιστον ὅπλων, τῇ φυγῇ πρόχειρος ἦν.
ἀνδρὸς δ' ἔλεγχος οὐχὶ τόξ' εὐψυχίας,
ἀλλ' ὃς μένων βλέπει τε κἀντιδέρκεται
δορὸς ταχεῖαν ἄλοκα, τάξιν ἐμβεβώς.

Cui sic respondet Amphitryo (188—205):

τὸ πάνσοφον δ' εὕρημα, τοξήρη σαγὴν,
μέμφει· κλύων νῦν τἀπ' ἐμοῦ σοφὸς γενοῦ.
ἀνὴρ ὁπλίτης δοῦλός ἐστι τῶν ὅπλων,
καὶ τοῖσι συνταχθεῖσιν οὖσι μἀγαθοῖς
αὐτὸς τέθνηκε δειλίᾳ τῇ τῶν πέλας,
θραύσας τε λόγχην οὐκ ἔχει τῷ σώματι
θάνατον ἀμῦναι, μίαν ἔχων ἀλκὴν μόνον·
ὅσοι δὲ τόξοις χεῖρ' ἔχουσιν εὔστοχον,
ἓν μὲν τὸ λῷστον, μυρίους οἰστοὺς ἀφεὶς
ἄλλοις τὸ σῶμα ῥύεται μὴ κατθανεῖν,
ἑκὰς δ' ἀφεστὼς πολεμίους ἀμύνεται,
τυφλοῖς ὁρῶντας οὐτάσας τοξεύμασι,
τὸ σῶμα τ' οὐ δίδωσι τοῖς ἐναντίοις,
ἐν εὐφυλάκτῳ δ' ἐστί· τοῦτο δ' ἐν μάχῃ
σοφὸν μάλιστα, δρῶντα πολεμίους κακῶς
σώζειν τὸ σῶμα, μὴ 'κ τύχης ὡρμισμένους.
λόγοι μὲν οἵδε τοῖσι σοῖς ἐναντίαν
γνώμην ἔχουσι τῶν καθεστώτων πέρι.

Non possum credere Euripidem hanc artis sagittariae obtrectationem et vindicias verbosas fabulae temere inseruisse. Moleste enim abundant rerumque cursum retardant. Praeterea Amphitryo dum Herculem ignaviae crimine absolvere studet, id confirmare potius videtur, artis sagittariae securitatem ante omnia jactans. Argumenta tam copiose explicata declarant eam rem tunc in omnium ore fuisse poetamque

De *Andromacha* diversae sunt conjecturae. Fix et Her-
mannus ob convicia, Spartiatis facta, quibus ante omnia fallacia
422 vel 421 objicitur, hoc drama Ol. 89,2 vel 3 ascribunt, quo tempore
violatis induciis urbes Thraciae tradere nolebant. Dindorfius vero
sumpto argumento e severo metro canticorum primis belli Pe-
428 vel 427 loponnesiaci annis ascribit, Ol. 87.4 vel Ol. 88,1, cui opinioni
vetus quoque scholion favere videtur [1]). Adhuc sub judice lis
est; cum ego vero minime judicis partes suscipere audeam
praestare videtur Andromacham non arctioribus finibus circum-
430 et 420 scribere quam Ol. 87,2 et 89,4.
420 *Supplices* omnium conjecturis ascribuntur Ol. 89,4 quo tem-
pore foedus cum Argivis adversus Thebanos ictum erat aut para-
batur [2]).

---

similem disceptationem suo tempore habitam aut res gestas respicere, praesertim cum de duorum exercituum proelio sermo sit, Hercules vero semper solus pugnaret. Numquam magis perspicue eluxit sagittariorum utilitas quam in insulae Sphacteriae expugnatione, quam apud Thuc. (IV c. 32—38) expositam legimus. Narrat auctor locupletissimus (33,2) hoplitas Lacedaemonios imprimis ab Atheniensium velitibus telorum multitudine vexatos ad salutis inopiam redactos esse.

Jam compone apud Thuc. (33, 2): (Spartiati) *τοῖς μὲν ὁπλίταις* (Atheniensium sc.) *οὐκ ἐδυνήθησαν προσμῖξαι ..... οἱ γὰρ ψιλοὶ ἑκατέρωθεν βάλλοντες εἶργον, καὶ ἅμα ἐκεῖνοι οὐκ ἀντεπῇσαν ἀλλ' ἡσύχαζον*, cum Herc. f. vs. 196 *μυρίους οἰστοὺς ἀφεὶς, ἄλλοις τὸ σῶμα ῥύεται μὴ κατθανεῖν, ἑκὰς δ' ἀφεστὼς πολεμίους ἀμύνεται.* Thuc. ibid.: *οἱ Λακεδαιμόνιοι οὐκ ἐδύναντο διώκειν ὅπλα ἔχοντες* cum vs. 190 *ἀνὴρ ὁπλίτης δοῦλός ἐστι τῶν ὅπλων.* Praeterea Thuc. 34, 2 *ἄπορόν τε ἦν ἰδεῖν τὸ πρὸ αὐτοῦ ὑπὸ τῶν τοξευμάτων καὶ λίθων ἀπὸ πολλῶν ἀνθρώπων μετὰ τοῦ κονιορτοῦ ἅμα φερομένων* et vs. 198 *πολεμίους ἀμύνεται τυφλοῖς ὁρῶντας οὐτάσας τοξεύμασι* similem fere confusionem indicant.

Haec tantopere consentiunt ut non inepte possit colligi poetam nostrum ad commendandum sagittariorum usum motum esse proelii Sphacteriensis expositionibus a testibus nuperrime allatis. Sequeretur ut hoc drama paulo post Ol. 88,3 sit actum, quo tem-
425 pore recentissima erat victoriae reportatae memoria, itaque huius significatio gratissima spectatoribus esse debuit.

Cum mea conjectura tamen leviter discrepat Hermanni lex metrica qua adhibita Herc. f. ad posterius tempus revocandus videtur. Hanc rem decernant viri docti.

1) Ad vs. 445: *φαίνεσθαι γεγραμμένην ἐν ἀρχῇ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου.* Ceterum Dindorfio astipulor vana putanti argumenta e Spartiatarum vituperatione petita; primum fallaciae crimen provocabatur Menelai dolo, fabulaeque ipsi aptum et accommodatum est; tum jam multo ante foedus illud violatum Lacedaemonios apud Athenienses fallaciae existimatione teneri testis est Herod. IX 54: *οἱ Ἀθηναῖοι ..... ἐπιστάμενοι τὰ Λακεδαιμονίων φρονήματα ὡς ἄλλα φρονεόντων καὶ ἄλλα λεγόντων.*

2) Pallas Athene in fine dramatis Theseum jubet Adrastum jurejurando constringere ne umquam Argivi Atheniensium finibus bellum inferant aut alios id facere

De Heraelidis maxima est inter viros doctos dissensio. Quam fabulam quum Hermannus in antiquissimarum habeat
numero, eique assensus Fixius ob indicia historica Ol. 83,4 ascribat, 444
Pflugkius ponit inter Ol. 87,2 et 88,3, Elmsley et Dindorf dis- 430 et 426
tincte Ol. 88,3 ascribunt, Bodius vero Boeckhium secutus in Ol. 426
90,3 revocat. Instituti mei memor rem in medio relinquam. [1]) 417

---

sinant. Haec non possunt quin designent rerum publicarum statum. Ol. 89,4 Athe- 420
nienses eiusmodi societatem cum Argivis conjunxerunt.

Mihi tamen res nondum omnibus difficultatibus expedita videtur. V. 1196—1207 Athena jubet victimas immolari in tripode aëneo, quem Hercules e deleta Troia raptum Theseo tradidisset, eumque inscripto jurejurando in alveo, Delphis voveri, cultrum autem juxta corporum busta in terram abscondi.

Quare sacrificii caerimoniam tam diligenter et tam scrupulose descripsit poeta? Nonne dicas quia revera omnia ita facta essent? Non enim est verisimile si fabula ante foedus pactum scenae commissa esset idque a poeta commendaretur, eum tunc tali diligentia usurum fuisse. At in istius pactionis expositione apud Thuc. (V. 47) non modo nullius tripodis fit mentio, sed non minus diserte praescribitur jusjurandum insculpendum in columnis, singulis in urbibus et Olympiae positis. § 11: τὰς δὲ ξυνθήκας..... ἀναγράψαι ἐν στήλῃ λιθίνῃ Ἀθηναίους μὲν ἐν πόλει κ. τ. λ..... καταθέντων δὲ καὶ Ὀλυμπίασι στήλην χαλκῆν κοινῇ Ὀλυμπίοις τοῖς νυνί.

Uterque diversa narrat. An Euripides igitur aliud quoddam foedus cum Argivis significare putandus est? Praeter istud unum tantum novi, (quod Aesch. quoque significavit Eumen 762—766), pactum vero paucis annis ante quam fabulas docere coepit
(ad Ol. 80,3) (v. Thuc. I, 102. Pausanias I, 29,8 et 9, IV. 24,7). 457

Viri docti praeterea argumentantur odium Thebanorum in fabula expressum. Nempe
Ol. 89,4 Athenienses Thebanis infestos fuisse, cuius rei causa sit repetenda a Panacto 420
non restituto (Thuc. V. 39. 40. 42. 44) et memoria cladis Deliacae cum Boeoti iis mortuorum sepulturam denegavissent. At istud odium nil acerbius sed mitius paene expressum est quam pro ipso fabulae argumento. Accedit quod Thebani jam inde a belli Persici temporibus odiosi fuere Atheniensibus.

Deinde vs. 187 Σπάρτη μὲν ὠμὴ καὶ πεποίκιλται τρόπους vulgo refertur ad controversias Atheniensium et Spartiatarum de pacto violato. At vidimus Spartam jamdudum fallacem esse vocatam (cf. pg. priorem annot. 1).

Quae omnia faciunt ut si mihi de Supplicum aetate suffragium sit ferendum sine dubitatione feram "Non liquet."

1) Non inutile est eorum argumenta quaedam intentius intueri. Fixius contendit, quamvis copiam amplam argumentum praebeat, tamen nihil acerbe in Lacedaemonios esse dictum. Pflugkius vero in partem prorsus contrariam disputans affirmat multo aptius ad Lacedaemoniorum inimicitias drama referri quam ad Argivorum defectionem! Quamvis concedens nihil iis aperte exprobrari, putat tamen poetam, quum Athenienses inducat captivi Eurysthei vitae parcentes, tacite vituperare necem Plataeensium in deditionem acceptorum. Quaesitius hoc primo aspectu licet videatur, tamen nescio an aliquid dixerit Pflugkius; gravissimum autem eum fugit subsidium. Rogat Alcmene quare Iolaus captum servaverit hostem: vs. 881

παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ οὐ σοφὸν τόδε
ἐχθροὺς λαβόντα μἀποτίσασθαι δίκην,

De Ione quoque in diversas itur sententias. Hermannus hanc
420 fabulam non post Ol. 89,4 scriptam censet, cui assentitur Din-
427 dorfius. Boeckhius et Bodius circiter Ol. 88,1. Bernhardius eorum
418 annorum medio tempore; Fixius vero Ol. 90,2 [1]).

---

et postea quoque vehementissime hostis mortem exposcit, quamquam praeco declaravit Atheniensibus in religionem venire hostem occidere, qui se ipse tradiderit. Non temere, me judice, Alcmene depicta est sanguinis avidissima; nempe Spartiatae ex ea oriundi erant; itaque videtur mihi Euripides hoc artificio horum crudelitatem civium suorum pietati opposuisse, quippe spectans saevam Plataeënsium caedem.

Certum indicium inveniri dicas ubi Eurystheus, antiquo nisus oraculo Atheniensibus, qui se servare maluissent, promittit corpus suum Attica terra receptum iis semper fore benignum et salutiferum, Heraclidarum vero posteris infestum et perniciosum ὅταν μόλωσι δεῦρο σὺν πολλῇ χερί, χάριν προδόντες τήνδε. Et tamen hic finis meo judicio non referri potest ad aliquam incursionem a Lacedaemoniis in Atticam factam.

Si alia omnia negligas maxime verisimile videtur tragicum patriae pietatem celebrare voluisse, Spartiatis autem et commemoratione beneficii olim accepti et futurae cladis malo augurio persuadere ne terrae Atticae bellum inferrent, quare fabulam doctam credas aliquando legatis Spartiatis praesentibus.

1) Plerique in huius fabulae aetate definienda metrum solum contemplati, ex eius generibus, e numero solutionum sententiam collegerunt. Quarum rerum judicium tamen saepe turbatur et ipsius poetae et aliorum interpolationibus, ita ut fieri non possit quin conclusiones vanae saepe sint et incertae. Etenim videmus hac eadem via ad diversissimas metas perveniri. Sed miror viros doctos quantum scio in Euripide examinando numquam animum attendisse ad diverbiorum formam, quae in dramatis posterioribus multum differt a forma in prioribus usitata. In illis enim manifestum cernitur studium augendi numerum stichomythiarum, et versuum inter duas personas divisorum. Per multos versus continuos personae colloquentes singulos tantum stichos recitant, aut trimetris iambicis aut tetrametris trochaicis clausos. Trochaicum metrum omnino in posterioribus tantum fabulis invenitur. Tum multi occurrunt stichi inter duas personas divisi, plerumque trochaicis octonariis, semel tantum per amplius quindecim versus continuos senariis iambicis compositi.
412 Prima Helena tragoedia (Ol. 91,4) multos versus bipartitos habet continuos. In Troadibus enim nondum occurrunt. Post Helenam Orestes, Iphigenia Aul., Phoenissae. Inter fabulas posteriores Bacchae tantum iis carent; verum haec fabula multos habet vs trochaicos (de Iph. Taur. v. pg. sq.).

Nec praetermittendum videtur quatuor eas fabulas omnino multo maiorem complecti versuum numerum (omnes enim amplius 1600) quam priores (nulla amplius 1500). Videmus igitur Euripidem quum procedente tempore severitatem metri minus curaret maiorem operam dedisse ut artificiosum esset, cum artis detrimento laborem a re necessaria ad rem paucis tantum locis convenientem, saepe vero inutilem et molestam transferens. Nunc autem Ionem conspiciamus.

Haec fabula primum quatuor illis supra nominatis vix minorem habet versuum numerum. Tum stichomythias iambicas habet semel per vs. 105 (sc. vs. 264—368) iterum per vs. 94 (934—1028) continuas, trochaicas 13, vs. trochaicos simplices 7, 5, 17, bipartitos 33.

De Electrae aetate mire consentiunt viri docti. Omnes enim sive metri conformatione nixi sive indiciis historicis eam Ol.
91,4, belli Siciliensis tempore, scenae commissam censent. [1]) 412
Neque de Iphigenia Taurica multum discrepant viri docti.
Fixius eam distincte ascribit Ol. 92,1, qua est temeritate in 411
indagandis temporum indiciis. Reliqui omnes conjecturis suis ad certum annum definiendum non veniunt, sed a poeta ultima aetate scriptam existimant. [2])

§ 3. *Conclusio. Tres aetates opinionis de rebus divinis.*

Ex iis quae de dramatum aetatibus disputavi hoc efficitur ut in persequenda ratione qua per temporis cursum Euripidis

---

Itaque si his computationibus aliquid tribuendum, Ion nullo modo in priorum fabularum numero sed Troadibus posterior habendus est. Ego enim vix credere possum caeco casu factum esse ut quatuor illae tragoediae (quibus Iph. T. procul dubio mihi adjungere licet v. huius pg. annot. 2) posterioribus annis scriptae eandem habeant proprietatem.

Mihi igitur Io scriptus esse videtur post Troades i. e. post Ol. 91. 1. Nonnulli 415
sibi visi sunt civitatis status significationem repperisse in Ionis oratione de difficultate capessendi et moderandi rempublicam Atheniensem, in urbe scilicet „φόβου πλέᾳ" (vs. 601). Quae indicia si non vis prorsus negligere, profecto nulli tempori magis con-
veniunt quam Ol. 92. 1 cum partes optimatium et popularium in infestissima castra 411
essent divisae.

1) Boissonadius primus conjecit Dioscurorum verba (vs. 1347 sq.) νὼ δ' ἐπὶ πόντον Σικελὸν σπουδῇ σώσοντε νεῶν πρῴρας ἐνάλους spectare cladem Siciliensem, cuius nuntius modo Athenas esset delatus. Nec quisquam negare potest, quia locus ipse minime poscat maris Siculi classisque periclitantis mentionem, etiam invitis se obtrudere significationis suspicionem.

Atqui non verisimile est poetam post cladem postremam adhuc spem salutis ostendisse; et tamen finis fabulae vix ante Helenam actam (Ol. 91. 4 = 412) compositus esse potest. Nam Dioscuri (vs. 1280 sqq.) narrant Menelaum ex Aegypto rediisse cum Helena, quae numquam Troiam pervenisset; nam inanem quandam eius imaginem Paridem secutam esse. Valde dubito num hanc mythi formam novam theatroque ignotam tam paucis verbis indicaturus fuisset, nisi eam antea Helenae fabula copiosius explicavisset.

Rursus versuum numerus mediocris et diverbiorum forma declarare videntur fabulam ante Helenam esse compositam. In hac testimoniorum discrepantia nihil habeo quod conjiciam nisi fabulam inchoatam sive multo sive brevi ante Helenam, imperfectam jacuisse et simul cum ea aut brevi post, allato nuntio desperatae classis additis Dioscurorum partibus festinanter absolutam esse.

2) Hartungus solus eam Ol. 89, 3. ascribere videtur (Euripides restitutus II. pg. 421
142). Nihil profecto vetat quin eam in postremarum fabularum numerum redigamus; nam et metrum licentia fluit laxum et diverbia abundant stichomythiis versibusque bipartitis continuis.

meditationes progressae et immutatae sint, eae tantum fabulae, quae quando compositae sint certis constat testimoniis in partes vocari posse videantur, incertae vero aetatis fabulae potius negligendae sint, quippe de quibus conjecturae complures factae vix umquam conspirent.[1]) Modo liceat aliquando unam vel alteram respicere quae minimam commoverit dissensionem. Concedo illis omnibus repudiatis disputationem satis incertam fieri; verum 9 dramata integra et plus 15 perditorum fragmenta temporis ratione disposita veluti stationes itineris, generatim fortasse viatoris viam indicare possunt.

Quem igitur huius capitis initio posui dramatum indicem, hunc sequamur necesse est. Huius sane nondum est loci diligenter investigare et disceptare quid de quaque re senserit, quod mihi in posteriores reservavi disputationis partes, sed quum ad mores ingeniumque intelligenda necessarium sit scire utrum semper an quo tempore de populari religione dubitaverit, hic obiter de hac re exponam.

In prima fabularum superstitum Alcestide saepius celebratur deorum potentia; nusquam homines iis exprobrant rerum humanarum cursum miserabilem, quamvis ipsi calamitate fracti.[2]) Neque in Medea, quae sequitur, ullae insunt deorum vituperationes. Etiam inter fragmenta dramatum huius temporis perditorum: Peliadum, Cressarum, Alcmeonis Psoph., Telephi, Philoctetae, Dictyis nihil legitur acerbe in deos dictum verum complures sententiae pietatis plenae.[3])

Quantum mutatus ab illo nobis Euripides apparet in Hippo-
428 lyto coronato acto Ol. 87,4. Frequentia enim observamus indicia

---

1) Viri egregii von Wilamowitz-Moellendorff liber insignis, cui titulus est Analecta Euripidea, mihi demum innotuit postquam totum fere opusculum absolvi. Summa eruditione et copia varia ille comparavit temporum indicia; nova indagavit, sed tamen vereor ne frequenter justo audacius in hac re versatus sit; quare etiam ratio qua distinxit varias poeseos Euripideae aetates mihi non satis firmo fundamento niti videtur. Aliquando, opinor, oblitus est regulae quam ipse posuit: nesciri debere quae sciri nequeant. Quum tamen illa partitio magnum prae se ferat acumen mihi non silentio praetereunda fuisset nisi neglecta philosophia Euripidea ad laudem poeticam tantum pertineret.

2) Velut vs. 217 sq. 1159 sqq.

3) Peliad. (apud Dindorf poetae scen. Graeci) fr. 609. Teleph. (ibid.) fr. 724. Philoctetes fr. 797.

animi dubitationibus quaestionibusque curiosioribus commoti. Incertum esse legimus quantum dii res humanas curare putandi sint.[1]) Dea calamitatis magnae auctor crudelissima, et ab hominibus piissimis et ab altera dea sorore graviter vituperatur[2]), excusantur vero qui eius vi coacti peccaverunt aut erraverunt[3]). Paullatim animum poetae mutatum facile sentimus.[4])

Hancne rem jam in Hippolyto velato indicari dicamus, qui coronatum antecesserat?[5]) In fragmentis enim legitur sententia judicii minus recti de re non nominata deos arguens.[6])

Supra vidimus ante Acharnenses Ol. 88,3 in scenam prodiisse 425
Cressas, Philoctetem, Telephum, Phoenicem, Ino, Bellerophontem. De tribus prioribus fabulis, quarum aetas aliunde certo constat, jam dixi. Tres posteriores, quia ignoratur quot annis ante Ach. doctae sint, neque igitur constitui potest utrum ante an post Hippolytum cor., parum opis conferre possunt. Nihil autem quale in Hippolyto notavimus invenitur inter Phoenicis fragmenta, in argumento simillimo,[7]) neque inter ea quae de Ino servata sunt.

Prorsus aliter se habet tragoedia Bellerophontis, qui Pegaso vectus coelum petivit et in terram dejectus deos contemnere coepit. Excerpta legimus amarum fortunae humanae divinique imperii judicium exhibentia,[8]) quin etiam unum fr. deos esse prorsus negans.[9]) Certum Bellerophontis annum latere vidimus; ante Hippolytum per duas integras fabulas et plus centum fragmenta perditarum nihil de diis impie dictum inveniri monui; — jam quaeritur an haec observatio satis habeat ponderis ut inversa ratione concludere possimus: illae sententiae impiae magna cum probabilitate demonstrant, *Bellerophontem aut non aut brevissime ante Hippolytum esse compositum*, nullo

---

1) Vs. 1102 sqq.
2) Vs. 1301, 1400, 1420 sqq., 1061, 1146, 1363 sqq.
3) Vs. 1301 sqq., 1325 sqq., 1433 sq.
4) Cf. infra c. 3 § 2.
5) Cf. Philoctetis fr. 793, de quo v. infra Part. III B c. 5.
6) Fr. 448.
7) Nauckius magna cum probabilitate ostendit argumentum deprehendi apud Apollodorum III. 3. 8. Phoenicis historiam summatim tradidit Homerus, Il. IX 453, de quo loco v. infra Part. IV c. 2 § 6.
8) Fr. 294 et 295.
9) Fr. 288.

modo ante Medeae tetralogiam? Ego non credo hoc imprudentius et inconsideratius poni. Mihi non verisimile videtur, si Euripides jam antea improbasset deorum popularium mores et regimen, eius rei inter tot versus superstites nulla ad nos perventura fuisse testimonia, quum ante omnia eiusmodi sententiae philosophicae e dramatis perditis servari soleant.

Relicto Hippolyto prima nobis in itinere statio est tetralogia
415 Troica quae vocatur (Ol. 91,1), Alexandrum Palamedem Troades Sisyphum complexa.

Priorum dramatum reliquiae nihil de diis observatione dignum continent, in Troadibus vero saepe reprehenduntur [1]) et omnino variae orationes habentur parum verecundiae et fidei ostendentes. [2]) Omnia declarant eum deorum civitati non reconciliatum esse. Similes fere sunt Andromache, Hecabe, Hercules furens, quas fabulas ut non suo quaeque anno ascribi possit tamen generatim
430—415 in hoc quindecim annorum spatium ab Ol. 87,2 ad Ol. 91,1 cadere vidimus. Vix quidquam impie dictum legitur in Heraclidis et Supplicibus; haec fabula utique pietate et animi aequitate insignis est. Quod reputans poetam aliquantisper meditationibus dubitationibusque intermissis laetius res humanas contemplatum esse puto. At non diu, opinor; nam ut pleraque huius aetatis opera, sic ea quae Troades secuta sunt Helena et Orestes exprimunt animum de rebus divinis dubitantem diffidentem incredulum. [3]) Ion Electra Iphigenia Taurica, sive ad hos posteriores annos sive ad priores trahenda sunt, eo progrediuntur ut diis actiones ab omnibus poetis traditas palam crimini dent, aliquando addita observatione vitia iis attributa fide indigna videri [4]).

Huiusmodi sententiae vix ullae in postremis fabulis inveniuntur, etsi Labdacidarum domus funditus eversa (in Phoenissis) et innocentissimae Iphigeniae caedes (in Iph. Aul.) amplam deos carpendi copiam praebebant. Neque in fragmentis Antiopes Oenomai Chrysippi Alcmeonis Corinthiaci Archelai Hypsipylae occurrunt. Bacchae praeterea magna vi illustrant sententiam

---

1) Veluti 469 sq.
2) 884 sqq., 940—950, 971—982, 1097 sqq., quae infra fusius tractabo.
3) Hel. 20 sq., 1137 sqq., Or. 285 sqq., 956 sq.
4) El. 1190 sqq., 1245 sqq., Ion. vs. 436—451, Iph. Taur. vs. 36 sq., 380 sqq.

hominibus cum diis non esse pugnandum [1]), sed hos potius missis acutulis meditationibus simpliciter esse reverendos.

Quae ex his omnibus non sine veri specie colligi possunt paucis complectar. Euripides prope usque ad quinquagesimum aetatis annum a religione populari parum dissensisse videtur; aut si jam tunc singula quaedam ei minus placerent, tamen nondum ita animum commovebant ut fidem labefactarent et palam enuntianda esse ei viderentur. Tum vero, primis circiter belli Peloponnesiaci annis manifesto de religione dubitare, deorum antiquorum naturam imperfectam indignari, fabulis mythologicis fidem denegare coepit; qua via cum pergeret, exceptis quibusdam temporis spatiis, per amplius viginti annos eodem fere animo in vulgares deorum notiones fuisse videtur, donec ultima vitae aetate eos impugnare desiit.

---

# CAPUT III.

## DE MORIBUS ET INGENIO EURIPIDIS.

### § 1. *De Euripidis indole.*

Perlegentem vel tenuia testimonia [2]) veterum de Euripidis vita non potest quin occupet persuasio eum a poetis aequalibus, iis praesertim qui aetate paulo superiores essent ingenio fuisse diversissimum. Desideratur in illo animi bene temperati aequitas, cultus absolutus consensusque perfectus omnium mentis corporisque facultatum, quibus omnino antiqui homines et in poetarum numero ante omnes Sophocles excellebant.

Quae harmonia consummata naturae et formae, qua universe circumscribitur illud quod classicum vocamus, sive in artis monumentis apparet, sive in singulorum hominum animis sive in institutis moribusque totius aetatis, quum semel est dissoluta,

---

1) Paucissimi loci in his omnibus fabulis, quibus lenissime et verecunde reprehenduntur infra explanandi erunt.

2) Quorum quae plurimam habent fidem supra brevi summario collecta exposui.

frustra revocatur. Si hoc principio posuimus, multa in Euripidis imagine intellectu faciliora fient [1]).

Omnia enim quae ad corporis cultum pertinent, quaeque apud antiquos homines non solum in puerorum educatione sed per totam vitam tantam habebant vim, a nostro postponuntur mentis et ingenii eruditioni. Ipse sane in juventute athleta fuit, sed et oraculo jubente et patre; tum mox relicta gymnastice mentis excercitationibus totus vacare coepit, quibus qui emineat eum multo magis honorandum esse quam qui corporis robore insignis sit, frequenter testatus est [2]).

Nec gymnasia modo vilipendebat sed neque ad rempublicam umquam accessit. Cuius rei causa profecto non inde repetenda est quod patriam nihil curaret. Variae enim sententiae passim prolatae testimonio sunt plurimum eius interfuisse quomodo respublica administraretur, quae rationes inter eam ceterasque civitates Graecas intercederent [3]); sed omnino hominum coetum ubique vitasse videtur, quippe moribus tristis et morosus; vitamque egit umbraticam, de omnibus rebus in secessu potius meditans et disserens quam se ipse immiscens [4]).

Ipse aliquando sua studia professus est. In fabula Alcestide chorus testatur, v. 962

ἐγὼ καὶ διὰ μούσας
καὶ μετάρσιος [5]) ᾖξα καὶ
πλείστων ἁψάμενος λόγων
κρεῖσσον οὐδὲν 'Ανάγκας
ηὗρον, οὐδέ τι φάρμακον
Θρῄσσαις ἐν σανίσιν τὰς
'Ορφεία κατέγραψεν
γῆρυς . . . . . . . . κ. τ. λ., quibus vsbus et poe-

1) Rectissime Bernhardy (Grundriss der Griechischen Literatur. Theil II, Abtheilung 2, pg. 398 sq.) „sein Einfluss und ein Theil seiner Mängel liegt im Vorwalten des theoretischen Lebens. Von diesem Standpunkt muss alle Charakteristik des Tragikers ausgehen."

2) V. Part. IV c. 3 § 1. 3) V. Part. IV c. 3 § 3.

4) Summi poetarum Germanorum sententia nobilis et trita: ingenium solitudine excoli, antiquis viris nullo modo apta in Euripidem primum cadere videtur.

5) Μετάρσιος poeticum est vocabulum pro μετέωρος, significans id quod supra terram elatum est; itaque translatum est ad coeli phaenomena; hoc loco usurpatur de earum rerum studiosis, quippe qui cogitatione sublimes feruntur; cf. Schol. ad h. l.: καὶ περὶ μετεώρων ἐφρόντισα, οἷον ἠστρολόγησα.

tica et philosophica studia significantur. Nullus enim poeta haec verba choro senum Pheraeorum admodum ridicule tribueret nisi ipse in illis artibus versatus sumpta chori persona id prae se ferre vellet [1]).

Non opus est monere quantum a Graecis hominibus distaret, qui eorum vitae tria velut principia, palaestram ludos reipublicae societatem communitatemque negligeret.

Praeter illas mentis excercitationes et studia *τῶν μετεώρων πραγμάτων* haec quoque despicientia eius vitae partis, quae in communi cultu speciei rerum versatur, aliquid conferre potuit ut ei parum satisfacerent dii populares, qui ludorum hilari celebritate et splendore multo magis gauderent quam seriis precibus et cogitationibus, quas quis solus meditetur, »*εἰςελθὼν εἰς τὸ ταμιεῖον, καὶ κλείσας τὴν θύραν.*"

Verum praestat eius impietatis causam non quaerere. Quis enim indicare audeat quibus rebus definiantur cultus humani cursus, progressio, mutationes, quorum vestigia etiam in rudium puerorum mentibus deprehendere possis?

Satis sit dixisse proxima tempora tulisse antiquae religionis dissolutionem, nostrumque velut antesignanum fuisse inter primos rerum novarum sectatores. Solet talibus temporibus in diversas vias distrahi communis vitae ratio et jam separari quae antea feliciter conjuncta fuerant. Exinde maior hominum pars eam viam sequitur quae in agendo tota versata prae solidis bonis omnia alia vana putans quaestui et potentiae tantum studet; quo fit ut, nulla officiorum cogitatione et meditatione repressi in effrenatam licentiam variaque voluptatis genera non raro proni rapiantur; — pars vero, quorum multo minor est numerus, rerum externarum contemptione moti a vita publica animum sevocant et nihil antiquius ducentes quam ut cogitando indagent certa vitae praecepta et agendi regulas, veritate neglecta plerumque nihil solidi consequuntur; — sive ut paucis verbis dicam: alii vitam agunt unam practicam, alii unam theoreticam [2]). Horum paucissimi tam eximio et splendido sunt ingenio

---

1) Schol.: *ὁ ποιητὴς διὰ τοῦ προσώπου τοῦ χοροῦ βούλεται δεῖξαι, ὅσον μετέσχε τῆς παιδεύσεως.*

2) „Dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis ...... utamur verbis interdum inauditis". Cic. Acad. post I. 6.

ut sibi disciplinam constantem excogitare et terminare valeant, quae recte vivendi viam monstret. Plerique vix progrediuntur ultra rerum traditarum improbationem, verum leviter ubique quaerentes, omniaque delibantes, nec tamen reperientes id quod volunt, fluctuant inter diversa, prout quovis animi aut corporis affectu agitantur [1]). Hisce autem poeta noster mihi adnumerandus videtur.

Nolite autem putare me homines prout agunt et sentiunt in expresse descriptas partes distribuere velle; nihil tantopere repugnat certae distinctioni quam mentes humanae, quarum multae e diversissimis sunt compositae principiis; — licet tamen generatim definire quo se quaeque maxime inclinent.

Qua aetate Euripides operam dare coeperit ut rerum cognosceret causas, quove modo haec studia cohaereant cum deorum popularium vituperatione, decerni nequit. Hoc autem suspicor eum, cum aliquamdiu scientiis variis studuisset et quasdam cognovisset disciplinas philosophicas, paulatim fabulas mythologicas improbare et spernere coepisse, tum in dies magis in philosophiam incubuisse. Tunc enim quaestiones multas et novas ei ante oculos obversatas fuisse necesse est; nec eas solum quae sunt de natura deorum. Licet enim religio Graeca non, velut Christiana, exponat quo tendat vita humana, quo modo recte sit vivendum etc., tamen multa quae ad rerum humanarum cursum pertinent justitia gratia studio ira deorum explicabantur. Quod cum irritum videretur animus jandudum curiosus non poterat quin etiam vehementius stimularetur ut omnium rerum causas efficientes investigaret.

Sed, ut dixi, propter temporum ignorationem testimoniorumque inopiam non decernere possumus quomodo colligatae sint illae cogitationes cum praeceptorum institutione. Quare pauca tantum de his suppleamus. Procul dubio sophistas audivit et in eorum scholis studiis rhetoricis sedulo vacavit. Protagoras in eius domo librum suum de diis recitasse fertur; ipsum narrat Diog. L. (II 5, 22) Heracliti librum περὶ φύσεως aliquando Socrati commodasse, quo familiariter usus fuisse videtur.

---

1) Observa quantopere illa tempora similia sint huic nostrae aetati, in qua sine difficultate eaedem fere rationes, quales adumbravi, cerni possunt.

Cum nemine tamen amicitiae vinculis conjunctior fuisse perhibetur, uno Anaxagora excepto. Quamvis in naturali philosophia eius auctoritatem multo minus sit secutus quam vulgo creditur, ut infra ostendere conabor (Part. II), moribus tamen ei simillimus fuisse videtur. Narratur enim ille quoque omnia neglexisse prae naturae cognitione [1]). Uterque erat tristis, alienus a risu [2]), moribus castis et severis. Euripides sane suum muliebris levitatis odium saepissime declaravit, castosque juvenes laudavit. Verisimile est eum etiam ceteris Anaxagorae discipulis familiariter usum fuisse. Quorum in numerum et alii referuntur — sed testimoniis ambiguis — a fidis vero auctoribus Pericles [3]), qui non minus severis fuit moribus, quippe *ἄθρυπτος εἰς γέλωτα* (secundum Plutarchum), et, cum totam vitam consumeret in republica regenda, assidue tamen, quantum per hoc munus licuit, hominum coetum vitavit.

Euripides non solum auditor disciplinas philosophicas cognovit eorum qui Athenis morabantur, sed superiorum quoque scripta lectitavit, quod quum bibliothecae commemoratio [4]) declarat, tum partim ipse affirmavit. Vsbus supra laudatis, 965 sqq.:

*κρεῖσσον οὐδὲν Ἀνάγκας*
*ηὗρον, οὐδέ τι φάρμακον*
*Θρήσσαις ἐν σανίσιν τὰς*
*Ὀρφεία κατέγραψεν*
*γῆρυς* ..... Orphica se legisse significat, quibus animus eius valde permotus fuisse videtur; saepe enim scripta et mysteria Orphica respexit [5]).

---

1) Diog. L. (II. 3. 7.) refert eum rogatum an patriam nihil curaret respondisse: *Εὐφήμει, ἐμοὶ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, δείξας τὸν οὐρανόν.* Patrimonium quoque neglexit, v. Diog. L. II. 3. 6, Plato Hipp. maj. p. 283 A, Plut. vit. Pericl. c. 16.

2) Aelianus V. H. VIII. c. 13: *Ἀναξαγόραν φασὶ μὴ γελῶντά ποτε ὀφθῆναι μήτε μειδιῶντα τὴν ἀρχήν.*

Aulus Gellius (N. A. XV. c. 20) citat Alexandrum Aetolum:

*ὁ δ' Ἀναξαγόρου τρόφιμος χαιοῦ στρυφνὸς μὲν ἔμοιγε προσειπεῖν,*
*καὶ μισογελὼς καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον μεμαθηκώς.*

3) Plutarch. vita Pericl. c. IV, V, VI, Plato Phaedr. p. 270 A.

4) Et derisio apud Aristoph. Ran. 943, 1409.

5) Hippol. 25, 952 sqq., Io 551, Cyclops 646, fr. 904. Bernhardius (II, 2. pg. 400) haec dicit: „Man erfährt dasz er auch die Schriften der Orphiker las, denen er abgeneigt war." Quonam jure? Verba supra apposita isti sententiae non favent; nam ex eo quod Necessitatis remedium nullum in iis scriptis se invenisse dicit non licet

Sic omnia delibavit ut de summis rebus fieret certior. Numquam vero certior factus est, sed de singulis rebus animum saepe mutabat prout diversis temporibus sibi de iis videbatur. At tamen quae sibi in mentem veniebant universa semper concludebat sententia, quasi in omne tempus et locum rata; unde factum est ut tantam sententiarum discrepantiam apud eum miremur.

Ea inconstantia, illud rerum novarum studium nulla re contentum, rerumque praesentium vituperatio, in qua quamvis ultima aetate paulo remiserit, tamen multos per annos perseveravit, vitam ei reddiderunt difficilem et parum laetam, effeceruntque ut esset in illa animi aegritudine, sine certis causis suscepta, quae in antiquis rarissime [1]), in nostrorum temporum hominibus frequentissime invenitur.

## § 2. *De arte Euripidea.*

Fuerunt qui mirarentur vel improbarent virum tali ingenio praeditum tragicam poësin sibi colendam sumpsisse, quippe cui mens pia deorum et mythorum veneratrix multo aptior sit quam sceptice philosophica. In quorum numero quum K. O. Müllerus et Bernhardius [2]) obiter tantum rem attingant, vir clarissimus

concludere ea displicuisse, quod absurdum esset; immo potius dixit: „ne in illis quidem scriptis remedium inveni." Hipp. 952 sqq. Theseus Hippolyto Orphica instituta exprobrat

*ἤδη νυν αὔχει καὶ δι᾽ ἀψύχου βορᾶς*
*σίτοις καπήλευ᾽, Ὀρφέα τ᾽ ἄνακτ᾽ ἔχων*
*βάκχευε, πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς,*
*ἐπεί γ᾽ ἐλήφθης· τοὺς δὲ τοιούτους ἐγὼ*
*φεύγειν προφωνῶ πᾶσι· θηρεύουσι γὰρ*
*σεμνοῖς λόγοισιν, αἰσχρὰ μηχανώμενοι.*

Fabulae exitus docet Orphicorum institutorum sectatorem non simulasse virtutem sed pie observasse: Theseum igitur poeta ostendit ea instituta injuria derisisse. Non tamen affirmare ausim eum ipsum ab omni parte Orphica probasse, quoniam disertis verbis regis accusationem refutare omisit. Verum nullus dubito Euripidem ea non contemnenda sed quae observentur dignissima habuisse. Neque eum Cyclop. 646 sectatores ridere Janskio (de phil. Eur. Jahresber. Kathol. Gymn. Breslau 1856—57 pg. 7) concesserim.

1) Velut in Hadriano imperatore.

2) Pg. 384: „Es war eigenthümlich und neu dasz ein Denker und Stilist die tragische Poesie zum Organ seiner Reflexion machte."

v. Leeuwen copiose disputavit [1]) eius ingenium tragicae scenae non convenisse, eumque si vere fuisset poeta magnus, qui si trita via non sufficiat in nova itinera prorumpat, novae comoediae futurum fuisse auctorem.

Jure missam facit fabellam qua Euripides fertur philosophiam Anaxagoream populum de scena docere voluisse [2]). Similiter rejicienda est sententia testantium eum ut civium mores emendaret ad scenam tragicam accessisse. Num doleamus quod non velut Plato post primos conatus relicta poesi totum se in philosophiae studium tradidit? Minime. Videtur enim ea ingenii constantia et subtilitate caruisse, quae omnia ad certas et inter se conjunctas leges redigat.

Atqui nihil mirandum est praesertim tragicam Musam eum coluisse, quippe qui natura ingenioque ita esset instructus ut nemo acutius perspiceret vitae asperitatem duramque legem: ne fortes quidem scelerisque puros virtute sua a fortunae casibus defendi, — quae in scena repraesentata cum maxime movent ἔλεον; — eum, quo nemo melius intelligeret, gravissimas calamitates saepe imminere necopinantibus et laete viventibus, nemo aptior esset ad repraesentandam animi perturbationum vim terribilem et perniciosam; quae omnia spectantium animis vehementissimum φόβον incutere solent (Aristot. Poet. c. 13 p. 1453*a*). Ideoque eum Aristoteles omnium poetarum τραγικώτατον appellavit. Juvenis facultate poetica ornatus, cuius animus vehementer movebatur rerum laetarum et tristium in vita repentina vicissitudine; qui insuper ita moratus erat ut, quum ab hominum celebritate abhorreret, ei tamen (proinde ac poeta nostras de se praedicavit) »quaecumque imo pectore laterent e faucibus erumperent," is vix fieri poterat quin ad tragoedias scribendas incumberet, nec mihi opus esse videtur ut aliunde quandam huius rei causam indagemus.

A primis artis tragicae initiis mythi antiqui amplissimam praebuerant materiem, neque ulla erat causa cur non Euripides quoque eos, in quibus omnes calamitates affectusque humanos eximio modo adumbratos cerneret, in suam rem converteret.

---

1) In dissertatione literaria de Aristophane, Euripidis censore c. II § 3 et 4.
2) Suidas in vita Eur.

Nam docuit nos fabularum chronologia (supra c. II pg. 16 sqq.) eum non solum quo tempore primo tragoediae animum appulit sed per amplius viginti annos insequentes (usque ad Hippolyti velati compositionem) de fabulis mythologicis non aliter sensisse atque plerosque aequalium.

At haec dum iterum hoc loco pono, ipse meam temeritatem reformido, et mihi paene ipse fidem denego, cum praesertim nemo, quantum scio, huius rei, in Euripidis tamen ingenio explicando gravissimae, rationem habuerit. Euripidesne umquam fuerit deorum cultor pius neque incredulus? Incredibile prope videtur. Eum nobis non alium ante oculos proponere possumus nisi religionem vulgarem objurgantem. Nihilominus conclusio illa tuenda est. Dubitatio admiratioque ideo animum occupant, quod pleraeque tragoediae ex ea aetate servatae sunt, qua religionem improbabat, et cum ceteris paucissimis confuse lectae falsam perpetuae impietatis opinionem nobis attulerunt. Sed temporis ratione dispositae meliora docent.

Optime igitur ei incipienti conveniebat trita via. Sed postea vulgarium deorum naturam improbare coepit, cuius rei prima sed certa indicia observamus initio belli Peloponnesiaci. Etenim verisimillimum est cogitationes, quae adhuc in imo pectore latuissent, a duris calamitatibus quibus Athenienses opprimerentur subito tantum incrementum tantamque vim accepisse ut eius animo summa vi et certa significatione se obtruderent neque amplius reticeri possent. Pergit tamen ex iisdem fontibus argumenta fabularum haurire; absurdum enim fuisset temere relinquere eos, qui tamdiu se utiles praestitissent. Ipsum autem veri studium eum incitat ut eadem via perseveret. Procul dubio sentit quidem paullatim quantum opiniones suae materiae quam sibi tractandam sumpsit repugnent, sed tamen animi adhuc incertus manet; in iisdem mythis dii non raro justi et sancti apparent, ita ut non habeat cur venerationem iis deneget. Quapropter eadem tentare non desinit; at quoties in tractandis fabulis antiquis incidit in eos locos ubi fortissimi et innocentissimi heroës Olympiorum invidia pereunt, indignationis impotens atque ardore abreptus exclamat deos tam impuros nullos esse.

Multum abest ut ego hanc inconstantiam et animi imbecillitatem probem. Nam Euripidi simulatque a vulgaribus opini-

onibus se discessisse perspexit, vulgaris quoque materies relinquenda aut prorsus diverso modo tractanda erat [1]), quam numquam profecto sibi sumpsisset si a prima adolescentia eodem fuisset animo quo postea. Nunc tamen quod non protinus rejecit quodammodo excusari potest [2]); hac quoque in re si quis omnia diligenter *γιγνώσκει* multa potest *συγγιγνώσκειν*.

Etsi igitur Euripides quoque mythos antiquos sibi illustrandos proposuit, tamen multum afuit ut Aeschyli recens mortui [3]) ex asse heres fieret, vel artem Sophocleam imitando exprimeret. Sophocles, homo constans, in omni re antiquis nisus vitae rationibus, ad mediam jam pervenerat aetatem cum religio, respublica, philosophia, vita privata in novas vias deflecterent; Euripides vero juvenis mediis in tempestatibus versabatur, et quae est juventutis natura ad nova recipienda aptior, penitus imbuebatur notionibus, quae maiorem natu poetam vix tetigisse videntur.

Cavendum est ne hoc umquam e memoria excidere patiamur, nisi iniquum judicium ferre velimus.

Quod aequalibus hac in re non licebat, posteritati contigit, poetam judicare temporis habita ratione. Utilissimum exemplum praebet Aristophanes, qui quamvis magno acumine artis Euripideae vitia deprehenderit et notaverit, tamen iniquum judicium fecit immeritoque poetam increpuit, primum quod singulas res injuria ad Sophocleae artis regulas exigeret, nec totius operis diversitatem perspiceret, [4]) tum quod non videret ea vitia non

---

1) Hartungus eum ab inconstantiae crimine pariter atque ab omnibus aliis criminibus vindicare conatus est, omni vitio carentem poetam praedicans. Eius liber, Euripides restitutus, dum nimium probare vult, nihil probasse videtur. In defendendo Euripide ab obtrectatoribus me profecto non indocilem habuit lectorem, sed tamen inter legendum mecum saepe exclamabam: non tali auxilio! Poetae enim consilia ascribit et laudat, quae, quod nunquam habuit, laudandus est. Caecae admirationis exemplum hoc unum sufficiat, quod contendit Euripidis Electram Sophocleae multum praestare!

2) Iniquus et durior in poetam me judice est v. cl. v. Leeuwen ubi contendit (diss. supra laudata pg. 25—29) eum intelligentem sine numine divino tragoediam stare non posse, quum ipse religionem repudiaret, callida tamen ratiocinatione ductum deos in fabulas suas introduxisse.

3) Aeschylus enim eodem anno mortuus est quo Euripides primum tragoedias docuit cf. Dind. in vita Aesch. pg. 5, in fine.

4) Cf. Bernhardium pg. 389. „Es wäre verkehrt und unbillig den antiken Maasstab anzulegen, und von ihm zu fordern was dem antiken Tragiker zukam: eine so

soli adversario adhaerere, sed multis aequalium communia esse, eumque pro mutatis temporibus non potuisse scribere sicut Sophocles scripserat.

Ut hoc uno exemplo illustrem: nihil est mirandum quod neque Aeschylus neque Sophocles delapsi sunt in longas orationes disputationesque forum redolentes, quoniam rhetoricae studium iis juvenibus nondum exortum erat; postquam vero invaluit non Euripidem solum ei plus aequo indulgere videmus sed omnes fere cives ipsumque adeo irrisorem Aristophanem! [1])

Adde quod Euripides tempora sua praeibat magis quam sequebatur; ita ut vel maiore aetatis discrimine a Sophocle disiunctus fuisse recte dici possit quam utriusque natales indicarent. [2])

Bernhardius Euripideae artis originem et rationem sic expressit (pg. 396): »Euripides ist Dichter und Organ der Ochlokratie. Nicht als ob er objektiv den Thatbestand derselben oder ihre Krankheitgeschichte geliefert hätte, sondern die moralischen Thatsachen jener Revolution stehen hinter seiner Dichtung, sie können gleichsam zwischen den Zeilen gelesen werden, weil ihre Voraussetzungen und Motiven daraus abstrahirt sind."

Quod mihi paulo obscurius nec satis recte dictum videtur. Euripidis indoles et ingenium non profecta erant ex Ochlocratiae moribus sed ex eadem morum conditione e qua mox Ochlocratia Attica emanavit. Supra (pg. 21) exposui quomodo separentur et digrediantur ii, qui nil nisi solida bona petunt, et ii, qui in solam contemplationem rerum incumbentes leviora prorsus negligunt; idem intererat inter ochlocratiae sectatores et Euripidem; quo factum est ut et in multis rebus convenirent et in multis differrent. Fieri autem solet ut ii, qui ex communibus institutis profecti diversa petant, non minus se inter se oderint quam ii qui et in institutis et in eo quod petunt dissideant; sic tragicus quoque ochlocratiae magna ex parte infestus erat, eam

---

vielseitige Persönlichkeit von subjektivem Gepräge, welche die Traditionen verliess und die starksten Anomalien zeigt, begehrt eine durchaus individuelle Norm."

1) Cf. Leeuwenium pg. 82 sq.

2) Mommsen, Römische Gesch. I. pg. 909 „die Dichtung wirkt nun einmal geschichtlich nicht in dem Masse ihres absoluten Werthes, sondern in dem Masse wie sie den Geist der Zeit vor zu fühlen vermag; und in dieser Hinsicht ist Euripides unübertroffen."

saepissime vituperavit et ab ea vicissim numquam honoratus est.

Nemo melius quam ipse Sophocles notavit diversitatem artis suae et Euripideae. Nota sunt eius verba [1]): *αὐτὸς μὲν ἀνθρώπους οἵους δεῖ ποιῶ, Εὐριπίδης δὲ οἷοι εἰσίν.* Sunt fortasse qui secundum hanc sententiam aut hunc aut illum prorsus damnandum censeant. Quod ego longe rejicio. Licet sane unicuique id genus sibi eligere, quo maxime delectatur, odio vero mihi digni videntur qui e tripode pronuntient artem summam his illisve praeceptis terminari, cetera flocci non facienda.

Quod in tragicorum Graecorum comparatione quum Aristophani condonari possit, cui nulla suppeteret scientia variorum literarum generum, — in recentioribus valde offendit, quasi ignorent summam laudem in eadem arte diversissimis modis consecutos esse tragicos Graecos et Shakespereum tragicosque Germanos.

Nam si universam tragoediam spectas, profecto non solum heroës fato aut caeco errore pereuntes aptam suppeditant materiem, sed etiam homines animi perturbationibus et affectionibus huc illuc jactati. Illud grandius, hoc humilius, sed profecto non minus tragicum; praeterea nobis potius gaudendum est artis varietate perinde ac naturae diversitate delectamur. Humilitatem illam spectant et alia Aristophanis crimina [2]) et irrisio regum claudicantium et squalentium. Quod si antiquae tragoediae regulis metiaris, vitio est; — reputantibus vero poetam repraesentare hominum affectus et casus *οἷοι εἰσὶν*, non tam acri reprehensione dignum potest videri quod Menelaus, qui nuper naufragium fecerit, non incedit splendida veste conspicuus; quod Bellerophon qui de coelo deciderit corpore laborat. Quae omnia dummodo ne ridiculam praebeant speciem bene accommodata sunt ad inculcandam spectatoribus potentiae et felicitatis regiae fragilitatem et vanitatem [3]).

---

1) Apud Aristot. poet. c. 25. pg. 1460 *b*.

2) Quae omnia ordinavit et recensuit v. cl. v. Leeuwen dissert. supra laudata.

3) Priores tragici raro ad eam habitus et condicionis humilitatem descendebant, quia non vulgares eiusmodi casus producebant. Sophocles tamen externa miseriae indicia non repudiavit. Oedipus quoque, postquam se ipse oculorum acie spoliavit, in scenam redit et in altera tragoedia ab initio usque ad finem in scena versatur caecus et praesidii opisque egens. Hac in re tamen concedi potest senem lumine orbatum plus dignitatis

Ne tamen ego in Euripide defendendo modum excedere videar, libenter concedam eum in his adminiculis modum excessisse [1]). Plerumque sibi temperare nescit, et quod in unum locum feliciter inventum erat ubique adhibens molestum et frigidum reddit.

Hoc studium veritatem presse imitandi eo usque progressum est ut in Electra manifesto significans, quae Aeschylus in Choephoris minus probabilia finxisset [2]), se ipsum meliora substituere indicet [3]), quod quam sit a re alienum et concinnitati scenicae repugnans unusquisque intelligit. Sic veritatem petens in rebus levioribus sublimiorem et poeticam illam veritatem perdidit, similis

---

habere quam debilem et tremulum (ut in Heraclid. Eur.) vel regem claudum. Philoctetem autem nobis proponit Sophocles tetro vulnere laborantem. Est quidem morbus ipse miseriae fons non e poetae mente arcessitus sed ipso mytho traditus; potest tamen responderi ἀλλ᾽ ἀποκρύπτειν χρὴ quod foedum est τόν γε ποιητήν. Verum in Philoctete multis videtur Euripidem potius imitatus esse quam suum ingenium secutus, ob id ipsum reprehensus. Aiax heros medius sedens inter pecora mactata potius nauseam aut risum movere debuit quam miserationem.

Orestes quoque in Aeschyli Eumenidibus manus habet sanguine madentes (vs. 42), Eumenidesque ipsae aspectu erant foedissimae. Nota etiam Xerxem in Persis. Darii umbra rerum absentium gnara, narrat (vs. 833 sqq.) vestes regi discissas esse, Atossamque monet ut ei obviam eat λαβοῦσα κόσμον ὅστις εὐπρεπής. Atossa testatur se omnium malorum nullo magis concussam esse quam illa vestium infamia. Hisce poeta optime depinxit Persarum mollitiem et cladis gravitatem, itaque regem induxit vestibus discissis omnique ornatu militari praeter pharetram amisso miserabilem aspectu; videtur enim Atossa ei nondum cum vestimentis integris obviam esse facta; cf. v. 850 πειράσομαι, 1018 et 1030.

1) Sed hac quoque in re morum antiquorum ratio habenda est. Veteres enim multo lenius quam nos judicabant si quis in scribendo alienis bonis uteretur aut sua repeteret. In hac culpa non solus est Euripides. Ipse apud Aristoph. (Ran. 910 sqq.) Aeschylo objicit quod in dramatum exordiis frequenter producebat personas diu silentes. Nominantur ibi Niobe et Achilles (in Hectoris λύτροις), addi possunt Prometheus et Cassandra.

2) Agnitionem Orestae ab Electra (Choeph. 168—178, 205—210, 226—229 ubi sane ipse Orestes Aeschyleus sororem partim vituperare videtur) carpit Eur. El. 515—545 et rationem qua apud Aesch. Orestes matrem occidit v. 615—617 notat.

3) Plura eiusdem generis exstare suspicor. Theseus in Suppl. (846—856) dicit se, ne „γέλωτ᾽ ὄφλῃ" Adrastum non interrogaturum esse qui quibuscum manus conseruerint, quis fuerit fortissimus etc., quippe qualia nemo in proelii confusione videre possit. Videntur haec tecte reprehendere Salaminiae pugnae accuratam descriptionem in Aeschyli Persis.

In Heracl. Eur. (vs. 390 sqq.) Demophon contendit imperatorem decere praesentem hostes explorare, non speculatorum ministerio; quod fortasse Aeschyli Septem spectat, ubi Eteocles domi omnia quae pertinent ad hostium exercitum sibi a nuntio narrari jubet.

cani in fabula, qui carnis quam portabat imaginem in aqua appetens ipsam quoque carnem amisit.

Nulla autem in re magis elucet Sophoclei dicti acumen quam in personarum moribus. Sophoclei heroës qua sunt animi firmitate ab initio usque ad finem sibi constant; agunt tantum quod agunt, nec si justa perficiunt umquam vacillantes (Antigone, Electra, Orestes), nec si caeco errore rapiuntur ulla re se retineri patientes (Creon, Oedipus rex, Aiax, Clytaemnestra, Philoctetes), donec malis divinitus illatis cedere cogantur [1]). Apud Euripidem contra personae tragicae saepe distrahuntur affectibus pugnantibus, perpetuo cunctantur et pro rerum cursu animum mutant (Medea, Phaedra, Hermione, Hercules, Creusa, Clytaemnestra [2]) et Orestes in Electra, Iphigenia [3]) et Agamemnon in Iph. Aul.) [4]).

Nolite autem alteram rationem laudare, alteram repudiare. Diversae enim utrique sunt virtutes, quum haec verior sit illa sublimior, haec in recentiores homines quadret illa in antiquiores [5]).

---

1) Prometheus Aeschyleus etiam hoc facere dedignatus est.

2) Nempe eam facinorum suorum poenitet (vs. 1105 sq.).

3) Notissimus est Aristotelis error in judicandis Iphigeniae moribus: Poet. pg. 1454a c. 15 ἔστιν παράδειγμα ..... τοῦ δὲ ἀνωμάλου ἡ ἐν Αὐλίδι Ἰφιγένεια. οὐδὲν γὰρ ἔοικεν ἡ ἱκετεύουσα τῇ ὑστέρᾳ. Quamvis plerumque judex aequus tamen hac in re injuria antiquae tragoediae rationes unas sequendas censuisse videtur.

4) In Phoenissis Eteocles ad aciem profecturus Creontem jubet, si Polynices ceciderit eius corpus insepultum feris projicere, et morte multare si quis sepelire ausus fuerit, vs. 775 sqq., 1645 sqq.; Polynices vero ψυχορραγῶν matrem sororemque accurrentes flagitat ut se sepulcri honore donent (1447 sqq.). Apud Aeschylum (Septem 1005 sqq., 1043 sqq.) et Sophoclem (Antig. initio) Creon sua sponte Polynicem humari vetat, Antigone sua sponte justa fratri facit.

Fortasse hoc Eur. inventum tantummodo emanavit e novandi studio; aut simpliciter intelligenda est rerum futurarum significatio, qualis in moriturorum orationibus aliquando invenitur (v. Iph. Aul. 1455). Sed nescio an his quoque subsit illud veritatis studium, sc. ut verisimilius videatur Creontem filii sponsae mortem minari, Antigonen audacter eius edictum spernere. At non solum nihil sic lucrati sumus sed omnia deteriora et viliora evaserunt. Nam quum Creon et Antigone ad servorum paene partes redacti sint, quibus mortuorum jussa irrevocabilia sint exsequenda, tum ipso hoc veritatis studio, male adhibito, Eteocles factus est praeter naturam crudelis, qui fratrem germanum inhumatum projici jubeat. Sic meliora captando bona amittimus.

5) Bergkius, Griechische Literaturgesch. Tom. I. pg. 661 sq. loquens de imagine Telemachi in Odyssea expressa haec dicit: „es ist ein des geistvollen Dichters durchaus würdiger Gedanke, das Werden des Charakters, das allmählige Reifen des Jünglings zu zeigen; und wir werden diese Leistung um so höher anschlagen wenn wir sehen, wie selbst die spätere Kunst, namentlich die dramatische, uns in der Regel

Aliquando tamen tam vulgaria sunt ἤθη et totius dramatis structura tantopere humi repit ut vix tragoediae nomine dignum videatur. Pessimae notae sunt Electra et Orestes, deinde Troades et Andromache. Euripidem facile et sine magno labore scripsisse credo [1]) et scribendi velocitati praeter modum indulgentem jejuna ista et absurda opera composuisse. Mallem periissent hae fabulae [2]) et aliae quaedam, contra servatae fuissent Alexander, Andromeda, Antiope, Bellerophontes, Cresphontes, Polyidus, Protesilaus, Phaethon. Nam hoc probe tenendum est: ceterorum tragicorum tragoediae superstites ut longe plurimae summa laude dignae sint, utriusque septem modo sunt, cum dramatum perditorum raro fiat mentio; Euripidis vero septendecim exstant (si excipias Rhesum et Cyclopem), complures autem deteriores nobis servavit temporum malignitas quum praeclaras multas interceperit, quae non solum Aristophaneis ludibriis sed maximis aliorum laudibus innotuerunt.

Cum ipsis personarum moribus etiam dictio a grandiloquentia Aeschylea et gravitate Sophoclea descendit ad quotidiani sermonis tenuitatem, conservata tamen venusta dulcedine et polita diligentia [3]). Aristophanes in Ranis sub Aeschyli persona reprehendit orationem ut in tragoedia justo humiliorem et molliorem; idque jure si omnia separatim judices, non vero si totum opus una contempleris. Nam

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exul uterque
Proicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querella.

---

nur fertige Charaktere vorführt".... quibus verbis sine dubio magis Aeschylum et Sophoclem spectat quam Euripidem, huiusque artis rationem tecte laudat.

1) Ab hac opinione depelli me non patior a Valerio Maximo referente (III, 7. 2, 1) Euripidem aliquando „triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisse", et eius fabulas vocante: „cunctante stilo elucubratum opus."

2) Pulcherrimum tamen est Orestis exordium ubi Electra fratri aegro assidet primum dormienti, deinde experrecto; at omnia quae sequuntur, quo longius procedas, eo fiunt viliora.

3) Aristoteles eum aliquando Aeschylum superare contendit, qui quum in Philoctete εὐτελῶς scripsisset φαγέδαινα δ' ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός, Euripidem una voce mutata καλῶς scripsisse φαγέδαινα δ' ἥ μου σάρκα θοινᾶται ποδός. (Poët. pg. 1458 b 1).

Minime tamen me fugit quanto jure reprehendatur prologorum jejunitas, innumerabilis multitudo sententiarum, disputationes de rerum natura, quae alieno tempore et ab alienis personis [1]) saepe pronuntiatae veritati nocent; rerum nimia copia in unam fabulam congesta; deorum partes nimis saepe ad nodum dissecandum potius quam solvendum adhibitae, quibus tamen Euripidi imprimis temperandum fuerat; [2]) declamationum rhetoricarum et etiam litium forensium studium molestum et male abundans, metri incuria gliscens, chori denique partes inutiles et a proposito alienae.

Verumtamen aliis rebus inter primos excellit. Etiam severissimi judices concedunt eum in pingendis animi perturbationibus, amore, furore, invidia, odio novercali, ulciscendi cupiditate, sed etiam placidioribus affectibus velut amore conjugali, amicitia etc., inque miseratione excitanda praestantissimum esse, idque eo maiore laude dignum est, quod neminem secutus ipse omnibus posterioribus in hisce imitandus fuit, primusque repraesentavit hominum rationem cum affectibus, conscientiam cum voluptatibus pugnantem. Neque in moribus mulierum illustrandis quemquam sibi habuit parem.

Huius non est loci omnia quae ad eius artis rationem pertinent recensere et usque ad leviores res persequi. Monere tantum volui ne quis ea ad antiquae tragoediae regulas singillatim exigeret, neve oblivisceretur utrumque opus ad diversa tendere, neque idcirco rationes proprias inter se comparari posse.

Nam, ut teste Cicerone Socrates philosophiam, sic Euripides tragoediam de coelo revocavit et in hominum animis collocavit; quo fit ut non amplius omnia uno tenore grandia sint sed remissiora aliquando excipiant magnifica. Homines pinxit *οἷοι εἰσί*, sc. non utique constantes et ad universam speciem expressos,

1) Nauckius mihi nimio acumine huius rei rationem fingere videtur ubi dicit (in ed. Teubner. Vol. I pg. XXX) „quae (philosophemata) quo facilius in spectatorum animos se insinuarent, iis potissimum personis tributa videmus, quas ultra vulgus sapere non esset probabile".

2) De qua re vide verissima apud Leeuwenium pg. 29 et 32 sqq. Ab Aristophane tamen hoc ei crimini non datur. Socratem Platonicum primum invenio ridentem (Cratyl. pg. 425 D) poetas tragicos, „*οἳ, ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι θεοὺς αἴροντες.*"

sed singulos diverse, prout moribus distant; tum plerosque ad virtutem et ad vitia aeque natos, quales multi omnibus temporibus inveniuntur. In rebus levioribus quoque veritatem pressius secutus est, orationemque his hominibus et rebus accommodavit, — quae omnia si quis realismum vocare velit per me licet; talis enim realismus, qui et sublimia et humilia una complectitur, vilis esse non potest.

Quare apage querelas istas quod a Sophoclea via male aberraverit. Nam ut mittamus mutata tempora nullo modo novos Aeschylos vel Sophocles progignere potuisse; — at omnes fere mythi huic generi apti tractati erant, neque igitur restabat nisi illos describere, nam quidquid mutaretur depravabatur. Itaque applaudamus potius artis rationi non eodem loco subsistenti sed progredienti; gaudeamus quod, cum maxima bona amisisset, nova conquirere pergeret neque ea spernenda. Euripides primus novam terram indicavit et velut dux et praetor iter ingressus est, neque hoc dolendum est quod id ingredi est ausus, sed quod ad finem pervenire non potuit. Utinam non solum artis naturam atque indolem mutavisset sed nova inventa novis quoque formis infudisset atque inspirasset! Utinam chorum sustulisset; utinam non in levioribus tantum rebus a mythis recessisset, sed aut prorsus rejectis ausus esset materiam quaerere ubicunque optima suppeteret, aut eos ita commutare sustinuisset ut nulli dii impuri, nullae leges fatales eum amplius impedirent, sed omnia soli operis consilio servirent. Quae si fecisset, evasisset auctor et confirmator tragoediae recentioris, romanticae [1]).

---

1) Liceat mihi locos quosdam longiores describere Mommsenii acutissime de Euripide judicantis (Römische Gesch. Tom. I, pg. 906 sqq.). „Euripides gehört zu denjenigen Dichtern, welche die Poesie zwar auf eine höhere Stufe heben, aber in diesem Fortschritt bei weitem mehr das richtige Gefühl dessen, was sein sollte, als die Macht offenbaren dies poetisch zu erschaffen ...... Die unübertroffene Grossheit, womit der Kampf des Menschen und des Schicksals bei Aeschylos sich vollzieht, beruht wesentlich darauf dass jede der ringenden Mächte nur im ganzen aufgefasst wird; das wesenhaft Menschliche ist im Prometheus und Agamemnon nur leicht angehaucht von dichterischer Individualisirung. Sophokles fasst wohl die Menschennatur in ihrer allgemeinen Bedingtheit, den König, den Greis, die Schwester; aber den Mikrokosmus des Menschen in seiner Allseitigkeit, den Charakter, bringt keine einzelne seiner Gestalten zur Anschauung. Es ist hier ein hohes Ziel erreicht, aber nicht das höchste; die Schilderung des Menschen in seiner Ganzheit und die Verflechtung dieser einzelnen in sich fertigen Gestalten zu einer hohen poetischen Totalität ist eine Steige-

Ad hoc genus omnium eius fabularum proxime accedere videntur praestantissimae tragoediae Medea et Iphigenia Aulidensis[1]); sed libet mihi id quod volo alio potius illustrare exemplo. De Euripidis Electra Dindorfius (de vita Eur. pg. 20 col. I) haec habet: »multo melior evasura fuisset, si Euripides Aeschyli in Choephoris aut Sophoclis in Electra exemplum secutus esset nec novis illos inventis superare irrito conatu studuisset." Inepte! tertiam enim Electram nisi prorsus diversam scribi non opus erat; tum Euripides, quae erat eius ingenii discrepantia, illorum vestigia premere ne potuisset quidem. Haec materies, nisi mutata, eius Musae non conveniebat. Si autem ita mutare sustinuisset ut Orestes non ab ipso deo potentissimo sed aut insomnio aut patris umbra ad matris caedem instigaretur, eius trepidatio et dubitatio ante, angorque conscientiae post perpetratum matricidium[2]) etiam terribiliores esse et justiores videri potuissent, et hoc modo institutam praeclaram, opinor, ingenioque Euripidis convenientissimam tragoediam haberemus, Shakespearei Hamleti magna ex parte similem.

At vidimus Euripidem in initiis novi itineris substitisse; namque jam ad fines ingenii antiqui pervenerat[3]); non solum enim

rung und darum sind, gegen Shakespeare gehalten, Aeschylos und Sophokles unvollkommene Entwickelungsstufen. Allein wie Euripides es unternimmt den Menschen darzustellen wie er ist, liegt darin mehr ein logischer und in gewissem Sinn ein geschichtlicher als ein dichterischer Fortschritt".

1) Huius fundamentum, Calchantis oraculum, tamen antiqua religione nititur et difficultatem igitur aliquam praebet, verum optime cadunt in hoc recentius genus reliqua, in quibus nobilissimum Agamemnonis et Iphigeniae colloquium me judice pulcherrimis universae poeseos gemmis adnumerandum est. Epilogus, quem habemus, omnium consensu spurius est; quibusdam videtur a filio ut fabulam omnino imperfectam scenae accommodaret adjectus esse. Quis dicat num Euripides ullum epilogum addere constituerit, ita ut fabulae finem faceret Iphigenia ad mortem proficiscens? (quam rationem Schillerus quoque Teutonice vertens, secutus est). Sic similior etiam esset fabula recentioribus tragoediis. Quantum e veterum testimoniis colligi potest etiam Alexander, Andromeda, Phaethon fabulae (de quorum argumentis v. Dindorf) romantice scriptae erant. E Phaethonte superest pulcherrima scena, in qua juvenis corpus domum affertur, eodem temporis momento quo a Choro in eius matrimonii (quod eo ipso die instituebatur) honorem Hymenaeus cantatur.

2) Nunc quoque vehementer dubitat et peractae caedis eum valde poenitet, cum Orestes Aeschyleus et Sophocleus nihil fere dubitent, nec postea sceleris sibi sint conscii.

3) Mommsen ibid.: „Das griechische Trauerspiel schritt mit Euripides über sich selber hinaus und brach also zusammen; aber des weltbürgerlichen Dichters Erfolg

ipse ad novum genus antiquarum legum vinculis liberandum excolendum perficiendum non suffecit, verum nullus Graecorum [1]) neque Romanorum exstitit qui illi operi par esset; nemo enim eorum ultra Euripidis imitationem progressus est. Multa demum post saecula aliis in regionibus apud alios homines opus illud excultum est suumque habuit florem.

Etenim hanc novam artis rationem respicere debemus si eum recte intelligere et ex aequo judicare volumus; hoc modo enim laudabimus poetam qui futuram artis conditionem quodammodo divinavit, partim ipse adumbravit, itaque fortasse aliis viam aperuit; nunc vero tamquam corruptor et perditor tragoediae antiquae multis vituperatione et contemtione tantum dignus videtur [2]).

Et jure sane non pauca in eo reprehendi vidimus, sed multa artis opera ad leges rite composita sunt et omni vitio carent, sed etiam prorsus carent impetu divino qui animos commoveat; nam

»Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto,
Et quocumque volent animum auditoris agunto."

Rursus alia multis maculis aspersa sunt, sed in omnium animos se insinuant neque in oblivionem abeunt. Cuius rei noster luculentum praebet exemplum. Constat eum q u i n q u i e s modo vicisse [3]), saepe frigidissimis posthabitum poetis [4]). Si *κριταὶ* Athenienses semper ex aequo et justo judicaverunt et nulla re cor-

---

ward dadurch nur gefördert, da gleichzeitig auch die Nation über sich hinausschritt und gleichfalls zusammenbrach".

1) Una tamen tragoedia fuisse dicitur cuius argumentum libere inventum esset, sc. Agathonis *ἄνθος*. Vide Aristot. Poet. pg. 1451 *b*: *ἐν ταῖς τραγῳδίαις ἐνίαις μὲν ἓν ἢ δύο τῶν γνωρίμων ἐστὶν ὀνομάτων τὰ δὲ ἄλλα πεποιημένα, ἐν ἐνίαις δὲ οὐδ᾽ ἕν, οἷον ἐν Ἀγάθωνος ἄνθει. ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται, καὶ οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει.* quae subjiciuntur digna sunt quae notentur: *ὥστ᾽ οὐ πάντως εἶναι ζητητέον τῶν παραδεδομένων μύθων ...... ἀντέχεσθαι· καὶ γὰρ γελοῖον τοῦτο ζητεῖν, ἐπεὶ καὶ τὰ γνώριμα ὀλίγοις γνώριμά ἐστιν ἀλλ᾽ ὅμως εὐφραίνει πάντας.*

Quam vellem *τὸ Ἄνθος* nobis servatum esset!

2) Mommsen pg. 907: „Er hat die antike Tragödie zu zerstören, nicht die moderne zu schöpfen vermocht. Ueberall blieb er auf halbem Wege stehn".

3) *Βίος* III apud Dind. *νίκας δὲ ἔσχε ε'*, IV. (Suidae) *νίκας δὲ εἵλετο πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιὼν, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτὴν.*

4) Varro ap. Gell. (Noct Att. XVII. 4) „cum eum saepe vincerent aliquot poetae ignavissimi".

rupti praemium detulerunt — neque usquam fraudis certa fit mentio [1]) — id mihi hoc modo explicandum videtur, quod poetae isti gregarii traditas leges magis sequerentur, Euripides vero ut novator praemio indignus videretur.

Aliter posteri judicaverunt. Istorum enim opera prorsus obliterata sunt; sed Euripidea non solum Graecis et Romanis verum omnium temporum poetis tragicis usque ad hoc nostrum aevum exemplo fuere et ne seris quidem saeculis in oblivionem abibunt.

Euripidis igitur indole et artis ratione brevissime adumbratis neutram vidimus ita constitutam fuisse ut variae partes aequaliter essent distributae et perfecto consensu cohaererent, verum alia moleste abundare alia male negligi aut abesse; — eumque et in vitae rationibus et in arte tragica, cum tradita et usitata non sufficerent, nova temptasse nec tamen ad finem perduxisse sed viribus deficientibus in difficili conatu haesisse.

Exinde possumus, id quod proprie propositum erat, diligentius inquirere quid de variis rebus meditando cognoverit et senserit.

---

1) Aelianus (V. H. II. 8) postquam rettulit Euripidem (cum Alexandro Palamede Troadibus Sisypho) victum esse a Xenocle quodam, subjungit: *γελοῖον δὲ (οὐ γάρ;) Ξενοκλέα μὲν νικᾶν, Εὐριπίδην δὲ ἡττᾶσθαι καὶ ταῦτα τοιούτοις δράμασιν· ἢ ἀνόητοι ἦσαν οἱ τῆς ψήφου κύριοι καὶ ἀμαθεῖς καὶ πόρρω κρίσεως ὀρθῆς ἢ ἐδεκάσθησαν.* Quae recentis auctoris ratiocinatio argumenti vice fungi nequit.

# PARS II.

## QUID EURIPIDES DE RERUM NATURA SENSERIT.

---

## CAPUT I.

### PRAEMONENDA DE VALCKENAERII DISPUTATIONE.

Eas sententias, quas Euripides de rebus physicis exhibet, illustrissimus philologus nostras Valckenaerius qua fuit eruditione in diatribe de perditorum dramatum reliquiis (c. IV, V, VI) collegit, disposuit, commentatus est. Posteriores plerique in verba magistri egregii juraverunt. Quum tamen non prorsus cum illo consentire possim, reliqui autem paucissimi qui ei oblocuti sunt [1]) partem tantum quaestionis breviter complexi sint nec meo judicio ubique verum tetigerint, non inutile mihi visum est totam rem denuo pertractare. Videtur mihi Valckenaerius quamvis investigator acutissimus nimis temere in concludendo versatus esse neque satis perpendisse testimonia quaedam, quae ipse attulit. Quum enim constet inter omnes Anaxagoram fuisse Euripidis praeceptorem, sicubi poeta de rerum natura dixit aliquid, quae plurima accurata indagatione collegit, statim ea omnia defert ad Anaxagorea placita, demonstrare conatus discipulum »amorem quo praeceptorem in his rebus sequeretur aliquoties testatum nobis voluisse". Liceat mihi paulo diversam viam ingresso poetae

---

1) Velut Bouterwek, Hasse, cuius disputatio, quam comparare mihi non contigit, per adversarium quendam mihi innotuit, Wilamowitz-Möllendorff cet.

sententias non solum cum philosophi Clazomenii sed etiam cum aliorum virorum illustrium placitis componere.

Euripidem ipsum non obscure sua studia de rerum natura significasse supra jam vidimus, sed est alia res de qua pauca dicenda sunt. Plerumque fragmenta nobis tractanda erunt, quia multo maior tragoediarum numerus quam aetatem tulit interiit, et ex his eae praesertim sententiae quae ad philosophiam pertinerent excerptae et posteritati traditae sunt.

Prooemio autem monui facillime in errores ducere posse sententias excerptas; quis enim dixerit, qua mente, qua occasione, plerumque ignoramus. Ne igitur meae ipsius observationis immemor audacius in rebus obscuris versari videar, hoc loco indicandum est vix ullum eiusmodi periculum inesse in his placitis de rerum natura. Talia enim quoniam cum iis quae in scena aguntur parum cohaerent, vix refert utrum fabulae intertexta an separatim excerpta legantur; eademque de causa non verendum est ne cum poetae ipsius opinione pugnent. Ubi igitur fragmenta perspicuam exhibent sententiam, securi iis uti possumus; ubi vero in rebus dubiis versamur, cautissime in eorum interpretatione procedendum esse per se intelligitur.

Quoniam varias sententias inveniemus ad eandem rem pertinentes, peto ut mihi concedatur neglecto tragoediarum superstitum vel fragmentorum ordine protinus ea placita aggredi quae maximi sunt momenti, inde ad leviora transire. Primum autem tractabo paucos versus quos universam Euripidis philosophiae naturalis rationem spectare Valckenaerius conjecit.

Clemens Alex. (Strom. V. p. 732) ex incerta tragoedia nobis servavit hoc fragmentum (905):

ὃς τάδε λεύσσων θεὸν οὐχὶ νοεῖ,
μετεωρολόγων δ' ἕκας ἔρριψεν
σκολιὰς ἀπάτας, ὧν ἀτηρὰ
γλῶσσ' εἰκοβολεῖ περὶ τῶν ἀφανῶν
οὐδὲν γνώμης μετέχουσα [1]).

1) Quum Clemens talem virum „κατὰ τὸν Εὐριπίδην" δυσδαίμονα et ἄθλιον esse dicat, Valckenaerius hosce versus sic disposuit:

Δυσδαίμων ὃς τάδε λεύσσων
θεὸν οὐχὶ νοεῖ.....
.....μετεωρολόγων δ'
ἕκας ἔρριψεν σκολιὰς ἀπάτας,

ὧν ἀτηρὰ γλῶσσ' εἰκοβολεῖ
περὶ τῶν ἀφανῶν
οὐδὲν γνώμης μετέχουσα.

Ad quae V. annotat (Diatr. p. 27): »Tortuosa autem de obscuris naturae rebus philosophemata, qualia veterum quoque fuerunt in Ionia Physicorum ante Anaxagoram, qui primus Deum, mentem puram et infinitam a materia separavit, damnat Euripides in his", etc. [1])

Mihi vero ista explicatio tortuosior videtur quam Ionicorum philosophemata, nec video quomodo ex his verbis, nisi mente ipse multa adjicias, iste sensus erui possit.

Nihil nos docet verbo »*μετεωρολόγος*" ante omnes significari veteres physiologos Ionicos. Nonne Anaxagoras ipse erat *μετεωρολόγος*, qui teste Diog. Laertio (II, 3, 10) *ἐρωτηθείς ποτε εἰς τί γεγένηται; Εἰς θεωρίαν, ἔφη, ἡλίου καὶ σελήνης καὶ οὐρανοῦ?* [2]) Nonne Euripides ipse ut jam antea vidimus [3]) (pg. 20 sq.) studuit *τοῖς μετεώροις πράγμασιν*? Philosophiae Eleaticae vel Socraticae vel Platonicae sectator ita loqui poterat, non Anaxagorae discipulus. Quam parum enim *νοῦς* ille *'Αναξαγόρειος* explicationes physicas sustulerit, quod V. existimasse videtur, docet Socrates questus apud Platonem (Phaed. 98 *b. c.*) *τὸν ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα.* Quae igitur tortuosa philosophemata V. discipulum Anaxagorae in physiologis Ionicis damnasse voluit, eadem in ipsius Anaxagorae disciplina inveniri ostendit Socrates. Interpretatio ista ergo haud dubie falsa est.

Me judice illa verba multo probabilius et simplicius ascribuntur choro nescio cui, postquam deos vivere et vigere scelesti alicuius regis interitu sive alia ratione claro patuit. Sic in Hercule furente chorus occiso Lyco exclamat (v. 757):

*τίς ὁ θεοὺς ἀνομίᾳ χραίνων θνητὸς ὢν*
*ἄφρονα λόγον οὐρανίων μακάρων κατέβαλ',*
*ὡς ἄρ' οὐ σθένουσι θεοί;*

Non igitur in aliquam scholam philosophicam dicta videntur, — neque enim quisquam Ionicorum deos esse negavit, — sed in

1) Eandem interpretationem sequuntur Bernhardy (pg. 365) et v. doct. Spengler, (Theologumena Eur. tr., in progr. gymn. Cathol. Col. 1862—63) ex auctoritate Valckenaerii.

2) Similia multa v. apud Schaubach, Anax. Claz. fragmenta collecta etc. pg. 9, 10.

3) Alc. 962. sq. *ἐγὼ .... μετάρσιος ᾖξα.*

universos naturalis philosophiae studiosos, qui omnia potius ad leges physicas revocarent quam divinum numen agnoscerent [1]). Talem sententiam a mente Euripidis, qui parum sibi constiterit, non alienam esse testatur totum Baccharum drama; imprimis hi versus: (427)

σοφὸν δ' ἀπέχειν πραπίδα
περισσῶν παρὰ φωτῶν·
τὸ πλῆθος ὅ τι περ φαυλότερον
ἐνόμισε χρῆταί τε, τόδε τοι λέγοιμ' ἄν.

et 1327

εἰ δ' ἔστιν ὅστις δαιμόνων ὑπερφρονεῖ
ἐς τοῦδ' ἀθρήσας θάνατον ἡγείσθω θεούς.

Omnium optime ergo versus illi eiusmodi tragoediae ascribentur, in qua impius homo deorumque contemtor poenas luit [2]).

---

# CAPUT II.

## DE ORTU ET INTERITU RERUM. COELUM ET TERRA.

Jam ad singula transeamus. In notissimo fr. 488, cuius vs. 1 et 2 nobis servavit Dionysius Hal. (Rhet. IX. 11. vol. 5, p. 356), vs. 2—6 Diodorus Sic. (I. 7), haec leguntur:

κοὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα,
ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία.
ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα
τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
δένδρη, πετεινά, θῆρας οὕς θ' ἅλμη τρέφει
γένος τε θνητῶν.

Primum priores tres versus contemplemur, quorum hic est sensus: initio rerum coelum terramque confusa unam habuisse formam.

---

1) Cui sententiae Clem. Alex. quoque favere videtur, qui laudatis vsbus praemisit haec: ὁ τοίνυν μὴ πειθόμενος τῇ ἀληθείᾳ, διδασκαλίᾳ δὲ ἀνθρωπίνῃ τετυφωμένος δυσδαίμων ἄθλιός τε κατὰ τὸν 'Ε. κ. τ. λ.

2) Velut in Bellerophonte et Ixione.

Ab antiquissimis jam temporibus notiones similes vulgatas fuisse e multis patet locis. Hesiodus in Theogonia exposuit omnium rerum principium fuisse chaos. De qua voce antiquitus inter viros doctos plurimum disputatum esse apparet e scholio quod diversissimas offert interpretationes. Sive autem ita accipiendum est ut sit inane spatium sive »rudis indigestaque moles", quae conjungere studet Zellerus [1]), profecto fuit unitas. Chao nascuntur Terra, Tartarus et Eros [2]). Terra dein (v. 126)

ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόενθ', ἵνα μιν πέρι πάντα καλύπτοι.

Sola sua vi genetrice igitur terra peperit coelum, quae partus ratio ab illa separatione de qua Euripides loquitur (ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα) vix differre videtur [3]), praesertim quia coelum terrae fiat ἶσον, i. e. omnibus rebus par.

Seculis sequentibus haec explanatio originis mundi, quae docet primum fuisse chaos, tum ex hoc formata esse coelum terramque, Graecis haud dubie familiaris erat, quum Hesiodi atque Homeri carmina iis omnes de rebus divinis opiniones constituerent auctore Herodoto (II, 53).

Theogonias Orphicas in partes vocare lubricum est, quarum scilicet pleraeque temporibus Euripide posterioribus compositae esse videantur [4]). Tamen Plato, qui in Timaeo (pg. 40 D) dicens de deorum origine credendum esse viris illis antiquis qui se ipsi deorum filios praedicaverint, omnium consensu Orpheum,

---

1) Zeller, Die philosophie der Griechen I. pg. 71 .... „des unendlichen Raumes, den sie sich aber auf dieser Bildungsstufe nicht abstrakt, als leeren, mathematischen Raum, sondern konkreter, als unermessliche, wüste, formlose Masse vorstellen wird; das allererste daher ist das Chaos."

2) Hermannus (Opusc. II pg. 172 sqq.) Hesiodeam expositionem ita interpretatur ut chaos sit spatium inane, quod primum procreet materiem confusam, γαῖαν sc. universe dictam; ut hac deinde orta sint coelum et γαῖα proprie dicta i. e. terra.

3) Cf. Brandis (Handbuch d. Gesch. d. Griechisch Römischen Philosophie I. pg. 73) in expositione theogoniae Hesiodeae: „der Himmel von der Erde geboren, d. h. Sonderung des stoffartigen Niederschlags von den leichter emporsteigenden Stofftheilchen".

4) συνήθης quae vocatur theogonia (in qua ex ovo ex aethere et chao formato Phanes nascitur) a Lobeckio (Aglaoph. pg. 611—615), quem sequitur Bernhardius (II 1ste Abth. pg. 438), Onomacrito cum suis ascribitur; Bergkius (Griech. Liter. gesch. II. pg. 94) eam Aristotelis temporibus compositam putat; Zeller (I pg. 88) etiam posteriore tempore.

Musaeum etc. spectare videtur, Orphicam sine dubio theogoniam significat, ubi illos scilicet viros secutus primos parentes ponit *γῆν τε καὶ οὐρανὸν*, quibus varia deorum genera orta sint [1]).

Physiologi Ionici omnes finxerunt conditionem primariam et simplicem, *μορφὴν μίαν*, cuius alius tamen aliam naturam esse existimavit. Solus omnium Anaximander separatione ex ea cuncta orta esse dixit, huic enim placuit *ἐκ τοῦ ἀπείρου* separari particulas calidas et frigidas, humidas et aridas, quae magna celeritate contortas in varias corporum caelestium formas concrescerent.

Anaxagoras praeceptor Euripidis principium finxit infinitam multitudinem particularum tenuissimarum inter se cohaerentium, quae vocantur *ὁμοιομερεῖαι*. Eius libri *περὶ φύσεως* initium servavit Simplicius ad Aristot. Physica (pg. 33 *b*) »*ὁμοῦ χρήματα πάντα ἦν, ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα .... Πάντα γὰρ ἀήρ τε καὶ αἰθὴρ κατεῖχεν, ἀμφότερα ἄπειρα ἐόντα. Ταῦτα γὰρ μέγιστα ἔνεστιν ἐν τοῖς σύμπασι καὶ πλήθει καὶ μεγέθει". καὶ μετ' ὀλίγον· »καὶ γὰρ ὁ ἀὴρ καὶ ὁ αἰθὴρ ἀποκρίνεται ἀπὸ τοῦ πολλοῦ τοῦ περιέχοντος καὶ τόγε περιέχον ἄπειρόν ἐστι τὸ πλῆθος* [2]). Postea autem, ut exponitur apud Simpl. (in Aristot. Phys. pg. 33 *a*) *ὁ νοῦς πάντα διεκόσμησε* (Schaub. fr. 8), contorta scilicet celeri motu (pg. 67 *a* Schaub. fr. 18). Quo facto (pg. 38 *b*, Schaub. fr. 19) *τὸ μὲν πυκνὸν καὶ διερὸν καὶ ψυχρὸν καὶ ζοφερὸν ἐνθάδε συνεχώρησεν, ἔνθα νῦν ἡ γῆ. Τὸ δὲ ἀραιὸν καὶ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ξηρὸν ἐξεχώρησεν εἰς τὸ πρόσω τοῦ αἰθέρος.*

Placuit igitur Anaxagorae partim jam ab initio *ἀέρα καὶ αἰθέρα* (qua voce ignem significasse videtur, cf. Aristot. de coelo I, 3) separatos *ἀπὸ πάντων χρημάτων* postea auctos et amplificatos fuisse particulis levibus et tenuibus, quae a contrariis separatae sursum ad supremam aetheris partem surgerent (cf. Schaub. pg. 74) vi mentis effectricis.

Neque Anaximander neque Anaxagoras docuerunt e chao

---

1) Proclus in Tim. V. 295: *πρώτην νύμφην ἀποκαλεῖ Ὀρφεὺς τὴν γῆν καὶ πρώτιστον γάμον τὴν ἕνωσιν αὐτῆς πρὸς τὸν Οὐρανόν*. Subjungit hac de causa matrimonium *Οὐράνῳ* et *Γαίᾳ* sacrum videri.

Platonis locum Zeller (I. pg. 80 ann. 1) probabiliter ad theogoniam ab Eudemo citatam (apud Damasc. c. 124 pg. 382) refert.

2) Vide Schaubach, Anax. Claz. fragmenta etc. fr. 1 pg. 65 et fr. 2 pg. 83.

coelum terramque secretione orta esse. Si esset decernendum ad utrius placitum Euripidea propius accedant, ad Anaxagoreum dicerem. Verum quantum interest inter subtilia illa philosophemata et simplicia Euripidis verba: *οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία, ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα....* Concedimus poetam qui talem philosophiam velit evulgare eam in simplicissimam formam redigere debere; at haec cum diversa sunt, siquidem Anax. non exposuit initio omnia confusa fuisse verum secretos jam aëra et aethera, tum gravissimam rem omittunt. Nam secundum philosophum omnium rerum descriptio effecta est vi mentis. De qua poeta ne verbo quidem. Nihil fere in verbis ipsis reliquum est quod de Anaxagorae imitatione cogitare nos jubeat, neque profecto eius cuiquam venisset in mentem nisi poetae praeceptor fuisse ferretur.

Me judice Euripides duobus illis versiculis magis antiquas cosmogonias secutus, quas parum differre vidimus, hoc modo physice expressit, quae jamdudum eruditioribus Graecorum probata erant.

Verumtamen Dion. Hal. (de arte Rhet. VIII. 10) illos versus citaturus affirmat Euripidem in Melanippe consulto Anaxagorea docuisse[1]), idque priore versu significasse: *κοὺκ ἐμὸς ὁ μῦθος ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα.* L. IX. 11. iisdem fere dictis addit: *ἐπιγέγραπται μὲν σοφὴ* (sc. Melanippe) *ὅτι φιλοσοφεῖ, καὶ διὰ τοῦτο τοιαύτης (φιλοσοφούσης) μητρός ἐστιν (τῆς Ἱπποῦς) ἵνα μὴ ἀπίθανος ᾖ ἡ φιλοσοφία.* At quisque, opinor, mihi ignoscet Dionysii huic merae conjecturae fidem deneganti.[2]) Nam si tragicus consulto sub Melanippae persona praeceptoris sui dogmata enuntiare voluisset, profecto diligentius in hac re versatus fuisset. Cur vero non potius matris Melanippae, Hippus sc. personam assumpsisset (cuius partus clandestinus non minus conveniens tragoediae praebuisset argumentum), quae si senten-

---

1) Ib. *συγγέγονεν Ἀναξαγόρᾳ ὁ Εὐριπίδης, δόγμα δ' ἦν Ἀναξ. τὸ ὁμοῦ πάντα χρήματα· μετὰ ταῦτα συγγενόμενος Σωκράτει καὶ κρείττονος λόγου μετασχών, ἀξιώσας ὡς ἐμοὶ δοκεῖ καὶ τὸν Ἀναξαγόρου λόγον μνήμης ἐν τοῖς δράμασιν, ἐξήγαγεν αὐτὸ τὸ δόγμα ἐν τῇ Μελανίππῃ τῇ σοφῇ. ἡ γοῦν ἀρχὴ τοῦ λόγου αὐτῷ αἰνίττεται τὴν πρὸς τὸν διδάσκαλον εὐνοίαν· φησὶ γὰρ ἡ Μελανίππη· κοὐκ ἐμὸς κ τ. λ.*

2) Nisi forte communis quoque sententiae in Helena (vs. 513): *δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον*, auctor nobis indagandus erit, quod praecedat: *λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμὸς σοφῶν δ' ἔπος*

tias suas ad patris Chironis auctoritatem revocasset, multo apertius poetae praeceptorem significasset, quam nunc Melanippe *matrem* auctorem jactans [1]).

Accedit quod cognomen *σοφὴ* non ab ipso poeta Melanippae inditum est, sed a grammaticis Alexandrinis, ut distingui posset haec fabula ab altera Melanippe cui *δεσμώτιδι* cognomen. Titulus igitur nullo modo consilium poetae indicare potest. Versum illum de matris auctoritate in philosophia non alia de causa ab eo praemissum censeo quam ne ridicula videretur virgo vitiata suapte vi mentis systema cosmogonicum excogitans; sive, ut ipsius Dionysii verba ad meum usum detorqueam „*ἵνα μὴ ἀπίθανος εἴη ἡ φιλοσοφία*".

Tractatis fr. 488 prioribus versibus ad reliquos transeamus:

*ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,*
*τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,*
*δένδρη, πετεινά, θῆρας οὕς θ' ἅλμη τρέφει*
*γένος τε θνητῶν.*

Continuo huc afferamus quae eodem pertinere videntur. Sext. Empir. (pg. 751, 21) Chrysippi dramatis fragmentum (836) hoc rettulit:

*γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθήρ,*
*ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,*
*ἡ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίας*
*παραδεξαμένη τίκτει θνητούς,*
*τίκτει δὲ βοράν, φῦλά τε θηρῶν,*
*ὅθεν οὐκ ἀδίκως*
*μήτηρ πάντων νενόμισται* [2]).

Athenaeus (XIII. pg. 599 F. sq.) multique alii ex incerta tragoedia haec (fr. 890):

*τὴν Ἀφροδίτην οὐχ ὁρᾷς ὅση θεός;*
*ἣν οὐδ' ἂν εἴποις οὐδὲ μετρήσειας ἂν*
*ὅση πέφυκε κἀφ' ὅσον διέρχεται.*
*αὕτη τρέφει σὲ κἀμὲ καὶ πάντας βροτούς.*
*τεκμήριον δέ, μὴ λόγῳ μόνον μάθῃς,*
*ἔργῳ δὲ δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς θεοῦ.*

---

1) Welcker jure de Dionysii commento ait (Die Griech. Trag. mit Rücksicht epischen Cyclus geordnet) „ein Beispiel mehr wie die Alten mit Spitzfindigkeit den Dichtern Absichten unterlegen, die nicht nothwendig vorauszusetzen sind".

2) Alteram huius fr. partem mihi infra tractandam reservo.

ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ' ὅταν ξηρὸν πέδον
ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ·
ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο·
ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταὐτὸν δύο,
φύουσιν ἡμῖν πάντα καὶ τρέφουσ' ἅμα,
δι' ὧν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

Sextus Emp. (p. 539, 15, Eur. fr. 1012):

αἰθέρα καὶ γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω.

Videmus nostrum variis locis sententiam enuntiare quod coelum (sive aër sive aether) et terra postquam e chao formata sunt inter se juncta omnia generaverint, sive quod terra pluvia feraci de coelo concepta omnium rerum mater exstiterit. Nihil enim interest coelum dicat an aëra an aethera. Illis temporibus etiam philosophi physici iisdem in rebus diversa saepe nomina usurpabant; quanto magis igitur poeta! Neque placitum suum pro ratione poeseos variis modis ornatum proferre praetermisit. Aether velut pater matrimonio junctus est cum terra matre et quia summus deus esse fingitur frequenter Jupiter appellatur. Apud Lucianum (Jup. Trag. 41, Eur. fr. 935):

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

In fr. 836 quoque supra laudato legimus »Διὸς αἰθήρ." In fr. 869:

ἀλλ' αἰθήρ σε τίκτει κόρα
Ζεὺς ὃς ἀνθρώποις ὀνομάζεται.

Troad. 884 sqq. Hecuba hac ratione Jovem alloquitur:

ὦ γῆς ὄχημα κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
ὅστις ποτ' εἶ σὺ, δυστόπαστος εἰδέναι
Ζεὺς, ..... Qui autem terram fert et rursus in ea sedem suam habet, is est aether, ut perspicue docemur schol. ibidem: λέγει δὲ τὸν ἀέρα· ὦ συνέχων τὴν γῆν, ἔστι γὰρ καὶ ἐπάνωθεν ἀὴρ καὶ κάτω, ὡς τὴν γῆν εἶναι μετέωρον [1]), et fr. 911:

κορυφὴ δὲ θεῶν ὁ πέριξ χθόν' ἔχων
φαεννὸς αἰθήρ.

---

1) Cf. Aristoph. Nub. 264:
ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἀμέτρητ' Ἀὴρ, ὃς ἔχεις τὴν γῆν μετέωρον.

Aether igitur, non raro Jupiter vocatus [1]), et terra omnium rerum sunt parentes [2]).

Pervestigantes scripta vetustiora varios incurrimus in locos similia testantes. Apud Hesiodum terra postquam *τὸν οὐρανὸν* sive coelum procreavit, ei [3]) parit (vs. 133):

*Ὠκεανὸν βαθυδίνην,*
*Κοῖόν τε Κρῖόν θ' Ὑπερίονά τ' Ἰάπετόν τε κ. τ. λ.*

sc. Titanes, Cyclopes, Centimanos i. e. vires naturales (cf. Preller I. pg. 39 sq.). Etiam Dodonae Zeus celebratur quasi aether sive coelum, quod immissa fertili et fecunda pluvia efficit ut terra edat fruges et arbores [4]). Pausanias (l. X. 12. 10) citat hymnum Dodonaeum:

*Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστὶ, Ζεὺς ἔσσεται· ὦ μεγάλε Ζεῦ.*
*Γᾶ καρποὺς ἀνίει· διὸ κλῄζετε ματέρα γαῖαν.*

In Theogonia Orphica, quam Platonem spectare supra vidimus, coelum cum terra procreat Oceanum et Tethyn [5]), unde deinde nova nascuntur deorum paria [6]).

Jam videamus quid philosophis vetustissimis de his rebus visum sit. Plantas et animalia solis calore e terra procreari

1) A schol. ad Aristoph. Ran. v. 100 et 311 e Melanippe citatur: *ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός·* aether sc. non Jupiter ipse sed eius domus; quod testimonio est Euripidem deos, etiamsi de iis quasi personis mythologicis loquatur, cum principiis naturalibus conjunctissimos sibi fingere. Huic quoque loco optime convenit quod Schol. annotat ad Orest. 982: *τὰ φυσικὰ τοῖς μυθικοῖς καταμίγνυσιν.*

2) Cf. nonnullas invocationes Hipp. 601: *ὦ γαῖα μῆτερ;* Med. 148: *ἄιες ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς* (cf. vs. 57).

3) Preller, Griech. Mythol. 1ste Aufl.: I pg. 36: „Uranos ist nehmlich der Himmel in der Bedeutung des absolut Zeugerischen, weil von ihm das befruchtende Nass kommt, welches die schöpferischen Kräfte der Erde erregt".

4) Preller I, pg. 79: „Zeus wurde sowohl auf dem Gipfel jenes Berges als in dem Thale verehrt, in diesem als der strömende, regnende und durch diesen feuchten Segen befruchtende Gott". Pg. 212 narrat pro Diona frequenter Venerem, quae est vis genitalis, Jovis Dodonaei uxorem perhiberi.

5) Cratyl. (pg. 402 *b*) Orpheus dixisse fertur *ὅτι Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο, ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμομήτορα Τηθὺν ὄπυιεν.* Verba *κασιγνήτη ὁμομήτωρ* declarant eorum parentes exstare; quare haec ex eadem theogonia desumpta videntur. In *συνηθεῖ θεογονίᾳ* coelum et terra a Phanete sive Erote procreata ipsa rursus gignunt Parcas Centimanos Cyclopes.

6) Etiam Autochthonum mythi (velut in Attica et Arcadia) comparari possunt. Herodotus (IV. 59) narrat apud Scythas Tellurem uxorem haberi Jovis, cui nomen *Παπαῖον* inditum valde probat, haud dubie ob *parentis* significationem.

placuit Anaximandro, Parmenidi, Diogeni Apolloniatae, Democrito, Empedocli. Anaxagoras de omnium animantium generatione varie disseruisse videtur, ut colligitur e testimoniis veterum. Quod ad plantas attinet, apud Theophrastum (Hist. Plant. III, 1) legitur *Ἀναξαγόρας μὲν τὸν ἀέρα πάντων φάσκων ἔχειν σπέρματα· καὶ ταῦτα συγκαταφερόμενα τῷ ὕδατι γεννᾷν τὰ φυτά* [1]. De animalium generatione Diog. L. (II, 3. 9) eum docuisse refert: *ζῷα γένεσθαι ἐξ ὑγροῦ καὶ θερμοῦ καὶ γεώδους, ὕστερον δὲ ἐξ ἀλλήλων.* Brevius Origenes philos. (ed. Oxon. pg. 15): *ζῷα δὲ τὴν ἀρχὴν ἐν ὑγρῷ γένεσθαι, μετὰ ταῦτα δὲ ἐξ ἀλλήλων.* Parvo discrimine Irenaeus (adv. Heret. II. 14): »Anaxagoras autem, qui et atheus cognominatus est, dogmatizavit facta animalia, decidentibus e coelo in terram seminibus". Nisi Irenaeus putandus sit per errorem ad animalia rettulisse quod de plantis dictum esset (quum eius verba idem prope exprimant quod Theophrasti locus supra laudatus), quaerendum est num pugnet cum auctoribus superioribus. Schaubach (pg. 182) eum cum illis conjungi posse censet; »solere enim seriores ex opinionibus veterum haud satis perspicue enuntiatis dogmata effingere". Eodem fortasse redeunt Diogenis et Irenaei sententiae, si *τὸ θερμὸν* quod ille refert *aethera* significare statuimus [2], et sic igitur explicamus verba »*ἐξ ὑγροῦ καὶ θερμοῦ καὶ γεώδους*", ut *ἐκ τοῦ θερμοῦ*, i. e. aethere, *τὸ ὑγρὸν*, i. e. humor pluvialis, decidat in *τὸ γεῶδες* sive terram [3]. Verum Anaxagoras si hoc voluisset, diligentius et copiosius locuturus fuisse existimandus est.

De philosophis hactenus. Neque ab iis tantum et antiquis genealogis, sed a poetis quoque coelum terramque conjungi com-

---

1) Aristoteles (de Plant. I. 2) dicit plantas desiderare solem, *εὐκρασίαν, ἀέρα κ. τ. λ. ἔστι δὲ καί τις ἀρχὴ τῆς μὲν τροφῆς τῶν φυτῶν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ πάλιν ἀρχὴ ἑτέρα τῆς γενέσεως ἀπὸ τοῦ ἡλίου.* Subjicit *εἶπε δὲ Ἀναξαγόρας, ὅτι ἡ ὑγρότης τούτων ἐστὶν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ διὰ τοῦτο ἔφη πρὸς Λεχίνεον ὅτι ἡ γῆ μήτηρ μέν ἐστι τῶν φυτῶν, ὁ δὲ ἥλιος πατήρ.* Quod mihi similius videtur allegoriae sive orationis figurae de propagatione plantarum quam certo dogmati de earum origine.

2) Cf. Aristot. de Coelo III, 3 et I. 3. Simpl. ad h. l. Plut. Plac. Phil. II. 13.

3) Zeller (I, 906) putat secundum Anaxagoram initio animalia eadem ratione qua plantas orta esse, hoc tantum discrimine ut eorum semina „nicht aus der Luft und dem Feuchten sondern aus dem Feurigen, dem Aether hergeleitet werden, worin ihre höhere Natur angedeutet scheint". Quibus verbis sine dubio spectat *τὸν ἀέρα* Theophrasti et *τὸ θερμὸν* Diogenis (v. supra in hac pg.).

pluribus elucebit testimoniis. In Odyss. (V 184) Calypso, in Hymno Homerico ad Apollinem (v. 84) Latona jurat per Terram et Coelum et Stygem. In H. H. *εἰς τὴν μητέρα πάντων*, qua Terra extollitur laudibus, legitur (v. 17):

*χαῖρε θεῶν μῆτερ, ἄλοχ' Οὐρανοῦ ἀστερόεντος.*

Saturno vero numquam contigit cultus, quia jam ante genus humanum progenitum Jupiter ei successerat. Hic autem evasit summus deus; eiusque nomine coelum quoque coli, vel saltem eum olim a principio naturali vix distinctum fuisse, id declarant complures dictiones quibus *Ζεὺς* pro coelo usurpatur [1]).

Pausanias narrat (I, 24, 3) Athenienses habere signum Telluris Jovem precantis ut sibi pluat, *εἴτε αὐτοῖς ὄμβρου δεήσαν Ἀθηναίοις, εἴτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι συμβὰς αὐχμός.* At hoc signum non ita vetus fuisse videtur, nam scriptor conspiciendum commendat ei qui artificiose facta antiquis praeferat.

Redeamus ad poetas. Postquam in transitu annotavimus Pindarum quoque copulare *οὐρανὸν καὶ γαῖαν ματέρα* (Ol. VII. 38) [2]) animum advertamus ad Aeschylum. Athenaeus (l. XIII, p. 600 *a*) continuo post Euripidis de amore versus supra memoratos ex illius Danaidibus haecce rettulit (fr. 41 apud Dind.) de Aphrodite scripta:

*ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,*
*ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν·*
*ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάεντος οὐρανοῦ πεσὼν*
*ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς*
*μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον·*
*δενδρῶτις ὥρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάμου*
*τέλειός ἐστι. τῶν δ' ἐγὼ παραίτιος* [3]).

Quae tantopere congruunt cum Euripidis fragmento 890 (v.

---

1) *Ζεὺς ὕει, νίφει* etc., cf. Hom. Il. XIX 357. Utiliter etiam Plutarchus monuit (Quomodo adolescens poetas audire debeat, pg. 23 *a*): *ὅτι χρῶνται τοῖς τῶν θεῶν ὀνόμασιν οἱ ποιηταὶ ποτὲ μὲν αὐτῶν ἐκείνων ἐφαπτόμενοι τῇ ἐννοίᾳ, ποτὲ δὲ δυνάμεις τινὰς ὧν οἱ θεοὶ δοτῆρές εἰσι καὶ καθηγεμόνες ὁμωνύμως προςαγορεύοντες.*

2) Etiam Nem. VI vs. 1, ubi dii hominesque eadem matre orti esse dicuntur, suspicor terram significari.

3) Eodem olim pertinere putabatur Ag. 1391 sq.:

*χαίρουσαν οὐδὲν ἧσσον ἢ Διὸς νότῳ*
*Γᾶν, εἰ σπορητὸς κάλυκος ἐν λοχεύμασιν,*

quae sic a Porsono emendata sunt: *ἢ διοσδότῳ γάνει σπορητὸς κτλ.*

pg. 45 sq.) ut hic maiorem natu poetam imitatus esse vulgo credatur.

Quidnam ex hisce omnibus sequitur? Esto Euripidem non imitatum esse Aeschylum, num ergo omnia statim a praeceptore repetenda sunt? Minime. Vidimus saltem sententias quas recensuimus non philosophis tantum proprias esse. An Aeschylum fortasse Anaxagorae institutione eruditum fuisse putemus? Hoc valde exiguam habet fidem. Nam admodum probabiliter me judice Schaubach (p. 14 sq.) demonstrat (a quo neque Zeller mul-
459 tum discrepat, I, pg. 865 sqq.) hunc non ante Ol. 80,1 Athenas venisse; Aeschylus autem jam antea in Siciliam profectus erat, et postea brevissime tantum Athenis commoratus mox obiit.

Num Aeschylus tamen philosophiae studuit? At de hac re nullum certum superest testimonium [1]), nisi quod apud Aristophanem ipse demonstrat se diligenter legisse poetas antiquissimos [2]). Quamquam nulli umquam scholae philosophicae addictus fuit, tamen sine dubio naturam et res humanas diligenter et studiose contemplatus est. Neque me judice reconditioribus studiis opus erat ut talia inveniret; neque igitur in Euripideis sententiis placita Anaxagorea quaerenda sunt, quae et cum iis perexiguam similitudinem ostendunt et multo subtiliora fuere. Tum hoc quoque reputandum est, Euripidem, si placita praeceptoris tanto studio ostentare voluisset, ante omnia eas fabulas, quas scripsit quum praeceptore adhuc vivo familiariter uteretur, iis ornaturum

---

1) Tamen Cic. Tusc. II. 10: „Veniat Aeschylus, non poeta solum sed etiam Pythagoreus; sic enim accepimus". Bode vero (Gesch. der dramat. Dichtkunst der Hellenen, I, pg. 267) jure observat horum verborum fontem turbidissimum videri, quod ipsa produnt verba „sic enim accepimus". Neque illud testimonium ulla re probabile fit. Priusquam in Siciliam migravit Aeschylus Pythagoream disciplinam non potuit cognoscere, quae postea demum a Philolao in Graeciam introducta sit. In Siciliam veniens aetate erat provectior quam ut novis doctrinis incubuisse sit verisimile. Sed gravissimum est testimonium quod eius sententiae, ut sint nonnullis philosophorum placitis similes, Pythagorica profecto nusquam referunt.

2) Aristoph. Ran. 1030 sqq.: Αἰσχ. σκέψαι γὰρ ἀπ' ἀρχῆς
ὡς ὠφέλιμοι τῶν ποιητῶν οἱ γενναῖοι γεγένηνται.
Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι.
Μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων καὶ χρησμοὺς, Ἡσίοδος δὲ
γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους· ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
τάξεις, ἀρετὰς, ὁπλίσεις τ' ἀνδρῶν.

fuisse. At quamquam plurimi loci tractati cui anno ascribendi sint utique incertum est[1]), hoc tamen animadvertas, quaeso, in iis fabulis quas vivo Anaxagora constat scriptas esse, nullum omnino eiusmodi placitum inveniri.

Mihi ergo et sententiarum ipsarum differentia et veteres genealogi Aeschylusque cum Euripide collati, et haec observatio de dramatis ante mortuum Anaxagoram scriptis persuadent Euripidem non ad unius physici disciplinam sententias suas formasse sed hausisse ex universa naturae contemplatione et cognitione meditationum humanarum. Poetae cogitationi talis matrimonii imaginem naturae convenientissimam occurrere nemo certe mirabitur. Recte enim Munroe ad Lucr. I, 251 (Vol. II, pg. 363) annotat: »A Vedis usque ad pervigilium Veneris poetae et philosophi conjugium illud aetheris et terrae celebrare solent; aetherem sc. velut patrem imbribus fecundantem terrae matris gremium".

Partem alteram fragmenti 836 adhuc neglectam mihi nunc sumam tractandam.

vs. 8 χωρεῖ δ' ὀπίσω
τὰ μὲν ἐκ γαίας φύντ' εἰς γαῖαν,
τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου βλαστόντα γονῆς
εἰς οὐράνιον πάλιν ἦλθε πόλον·
θνήσκει δ' οὐδὲν τῶν γιγνομένων,
διακρινόμενον δ' ἄλλο πρὸς ἄλλου
μορφὴν ἑτέραν ἐπέδειξεν.

Huc quoque trahenda videntur quae ex incerta tragoedia excerpsit Plut. Mor. pg. 416 E. et 190 C. (apud Dind. fr. 961):

ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα.

Orion Flor. II, 1 pg. 252, 20 ex Antiopa servavit (fr. 195):

1) Ignoratur enim aetas fr. 869, 890, 935, 1012; fr. 869 levis est momenti quoniam nihil exponit nisi quod Aether ab hominibus Zeus vocatur; de fr. 1012 nihil potest conjici; fr. 890 non sine jure potius ad Aeschyl. fr. 41 quam ad praeceptoris aliquod placitum expressum esse dicitur; fr. 935 magna cum probabilitate a Nauckio revocatur ad Antiopen (ob Prob. in Virg. Ecl. 6. 31 pg. 21. 6, v. Nauck. et Dind. ad fr. 226), 406
quae Ol. 93. 2 docta est; fr. 488 e sapienti Melanippe scriptum est ante Ol. 92.1; 411
credo Melanippen non multo ante esse doctam; sed id tamen latet. Vs. vero e Troad.
citati Ol. 91.1, et fr. 836 e Chrysippo Ol. 93,2 demum compositum est. Haec 415 406
pauca ergo magis confirmant quam infringunt observationem quam in contextu posui.

ἅπαντα τίκτει χθὼν πάλιν τε λαμβάνει.

In Suppl. v. 531 sqq. legitur:

ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς,
ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν· πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν, οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
ἡμέτερον αὐτὸ πλὴν ἐνοικῆσαι βίον,
κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν.

His versibus ea quae fr. 836 universe dicuntur ad mortem accommodantur.

Nauckio spurii sunt visi. Sentio quidem philosophica haec non esse »locum sortita decentem", sed potius intempestive arcessita. Num idcirco protinus notanda et reicienda sunt? Namque etiam valde dubium est an cum Stobaeo (122,3) Moschioni tribuenda sint. Incertus quid eius rei sit, nimis confidere nolo. Neque Orest. 1086 sq.:

μήθ' αἷμά μου δέξαιτο κάρπιμον πέδον,
μὴ λαμπρὸς αἰθήρ, εἰ σ' ἐγὼ προδούς ποτε κ. τ. λ.

a Valckenaerio adhibita multum proficiunt nisi justo fidentius nitamur vs. corruptis. Spurii quoque videntur Helen. 1010—1016, a loco prorsus alieni:

καὶ γὰρ τίσις τῶνδ' ἐστὶ τοῖς τε νερτέροις
καὶ τοῖς ἄνωθεν πᾶσιν ἀνθρώποις. ὁ νοῦς
τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

Stobaeus denique de lugenda cognatorum morte (108, 11) ex Hypsipyle laudat:

καὶ τάδ' ἄχθονται βροτοὶ
εἰς γῆν φέροντες γῆν.

Etiamsi locos illos dubios omittamus, tamen in aperto est fr. 836 significatio: omnia dissolvi et dilabi in eandem unde orta sint materiem, quae e terra in terram, in aethera autem quae ex aethere; nihil enim proprie interire sed dissolvi cuncta et mutari.

Haec magis quam quae supra tractavi ad interiorem physicam pertinere videntur. Philosophorum igitur placita potius comparanda sunt quam poetarum dicta.

Anaximander scripserat (apud Simpl. ad Aristot. Physic. fol.

6 *a*): *ἐξ ὧν ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι, καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γενέσθαι κατὰ τὸ χρεών· διδόναι γὰρ αὐτὰ τίσιν καὶ δίκην ἀλλήλοις τῆς ἀδικίας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν.* Idem haud dubie animam aëriam esse censuit. Scribit enim Theodoretus (Gr. aff. cur. V, 18, p. 72): *'Αναξιμένης καὶ 'Αναξίμανδρος .... ἀερώδη τῆς ψυχῆς τὴν φύσιν εἰρήκασιν* [1]), quae duo placita si conjungimus, consequimur hoc: interitu particulas terrenas in terram redire, aërias in aëra, — dogma Euripideo illi simillimum. At incertum est an revera ea placita conjungere liceat; philosophus cum de rerum interitu illa scriberet, fortasse et de materia solida tantum cogitavit et de totius orbis terrarum interitu.

Empedocles quoque docuit ortum et interitum proprie esse particularum concretionem et dissolutionem, verum quo modo quaeque fiant non explicavit.

Eodem fere sensu Anaxagoras quoque locutus est, cuius haec servata sunt (ap. Simpl. ad Phys. Aristot. p. 24 *b*): *τὸ δὲ γενέσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι οὐκ ὀρθῶς νομίζουσιν οἱ Ἕλληνες. Οὐδὲν γὰρ χρῆμα γίνεται οὐδὲ ἀπόλλυται, ἀλλ' ἀπ' ἐόντων χρημάτων συμμίσγεταί τε καὶ διακρίνεται καὶ οὕτως ἂν ὀρθῶς καλοῖεν τό τε γίνεσθαι συμμίσγεσθαι καὶ τὸ ἀπόλλυσθαι διακρίνεσθαι.* In Plac. Phil. I, 30: *'Αναξαγόρας ὁμοίως τὴν φύσιν σύγκρισιν καὶ διάκρισιν, τοῦτ' ἐστι γένεσιν καὶ φθοράν*, — quae compluribus locis confirmantur [2]). Haec quidem optime consentiunt cum Euripideis his *θνήσκει δ' οὐδὲν τῶν γιγνομένων, διακρινόμενον δ' ἄλλο πρὸς ἄλλου μορφὴν ἑτέραν ἐπέδειξεν*, sed nullam invenimus apud Clazomenium sententiam quae reliquis similis sit, omnia sc. in ea redire unde orta sint [3]).

Incidimus autem in quaestionem ad quam rem hoc proprie pertineat: *τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου βλαστόντα γονῆς*, quod in Euripidis

1) Zeller I pg. 210: „Die Seele soll er für luftartig gehalten haben und wir haben keinen Grund diess unwahrscheinlich zu finden." Idem Brandis I pg. 189.

2) Simpl. in Aristot. phys. pg. 6 *b*, Aristot. de coelo pg. 46 *a*, Plac. phil. I, 3. IV, 29.

3) Zeller (I pg. 907 annot. 1) relato Irenaei testimonio, quo Anaxagoras fertur docuisse animalia facta esse decidentibus e coelo in terram seminibus, subjicit: „Daher Eurip. Chrysipp. fr. 6 (7): die Seele stamme aus aetherischem Samen und kehre nach dem Tod in den Aether zurück, wie der Leib in die Erde aus der er stamme". Haec conclusio, quae niti videtur observatione pg. 48 in annot. citata, procul dubio falsa est. Res ipsa, me judice, docet de corporibus animalium illa dicta esse non de animis.

fragmento legitur. Numquid praeter animam ei ex aethere ortum potuit videri?

Suspicor ego dissolutionis illius nullum exemplum perspicue eius animo obversatum esse praeter animantium mortem; eum vero indulgentem ingenio suo placitum illud in universum enuntiasse.

Ut ad Anaxagoram redeamus, discimus eum animam habuisse particulam Mentis. Verum de morte nullum eius [1]) traditur placitum certum, de qua an disputaverit omnino ambiguum est, quamquam recte fortasse statuit Zeller (pg. 908) »Nach seinen allgemeinen Voraussetzungen müsste man aber allerdings schliessen, der Geist als solcher sei zwar ewig, wie der Stoff, die geistige Individualität dagegen ebenso vergänglich wie die stoffliche" [2]).

Quoniam tamen nihil huiusmodi traditum est, videamus tandem quatenus poeta cum philosopho prorsus concinerit. Huc redeunt: 1° nihil proprie interire, verum ortum et interitum esse *μῖξιν* et *διάλλαξιν*, 2° animae naturam esse subtilissimam [3]).

Haec autem omnes fere eius temporis philosophi, quin eruditiores omnes, suspicor, docuerunt; proprium vero Euripidis illud de morte et interitu, nisi forte nova de philosophia Anaxagorea testimonia e tenebris proferantur, ad huius auctoritatem revocari non potest.

Praeterea, ut hac quoque in re temporis observemus rationes, nonne dogma tam grave jam aliquando vivo praeceptore evulgasset, si eum in naturali philosophia presse esset secutus? In
429 iis autem tragoediis, quas constat ante Ol. 87,3 compositas esse,
nihil huiusmodi invenitur; at fr. 836, quod hac in re gravis-
406 simum esse vidimus, e Chrysippo est Ol. 93,2 composito post
amplius viginti annos quam mortuus est Anaxagoras!

---

1) In Plac. phil., V. 25, 3, Anaxagoras docuisse dicitur *ὕπνον σωματικὸν εἶναι πάθος, οὐ ψυχικόν· εἶναι δὲ καὶ ψυχῆς θάνατον τὸν διαχωρισμόν*, quod Zeller (pg. 908) interpretatus „animam perire in corporis separatione" fide indignum putat. At cum Schaubachio (pg. 189) potius verterim: mortem esse separationem animae a corpore.

2) Cf. Aristot. de An. I. 2: *Ἀναξαγόρας δ' ἔοικε μὲν ἕτερον λέγειν ψυχήν τε καὶ νοῦν, ὥσπερ εἴπομεν καὶ πρότερον. χρῆται δ' ἀμφοῖν ὡς μιᾷ φύσει.*

3) Nam parum attinet quaerere utrum Anax. *τὸν νοῦν*, — quo utitur quasi eiusdem naturae esset ac anima, ut superiore annot. vidimus, — velit esse *σῶμα* an *ἀσώματον*, de qua re teste eodem Aristotelis capite „*ἧττον διασαφεῖ*" (v. imprimis Zeller pg. 888 cum annot. 6). Neque quidquam juvat indagare quid Eur. proprie dicat *αἰθερίαν γονήν*, quod ne ipsum quidem satis perspexisse suspicor.

Verum alia in regione Graeciae in similem sententiam incurrimus. Epicharmus, comicus Siciliensis, alter philosophus scenicus, de ortu et morte scripserat (Plut. Consol. ad Apoll. p. 110 A) »*συνεκρίθη καὶ διεκρίθη καὶ ἀπῆνθεν, ὅθεν ἦνθε πάλιν, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω. τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδὲ ἕν.*"

Epicharmus vulgo creditur Pythagoreae disciplinae sectator fuisse; nec non in his Zeller (pg. 462) videt »Pythagoreische Einflüsse", hac fortasse de causa quod hi animas relicto corpore in aethere circumferri credebant [1]), teste Alex. Polyh. (apud Diog. L. VIII. 31). Indagare poteramus utrum uterque poeta fortasse e doctrinis Orphicis hauserit, quas Euripidem frequenter commemorare vidimus, Pythagoreos autem valde honorasse constat [2]), an Atheniensis poeta Siciliensem imitatus sit [3]). Sed satis est consensum notasse. Nam etiam sine mutuo commercio consentanea inveniri facile explicari potest. Observantibus quantam cognationem in religione et institutis gentes regione aetate ingenio diversissimae habeant hac sola de causa quod omnes, quippe societates humanae, humanitatis quibusdam legibus communibus constrictae sunt, profecto non mirum potest videri duos eiusdem gentis homines aliquando separatim et sine imitatione easdem cogitationes protulisse. Ii, qui ab similibus exordiis profecti similibus rationibus utuntur, necessario ad similes conclusiones pervenient.

Neque video cur omnibus modis nos vertere et torquere debeamus ut tandem investigemus aliquem, quem Euripides servi-

---

1) Quod pressius referre videtur aliud Epicharmi fr. a Clemente Al. servatum:

*εὐσεβὴς τὸν νοῦν πεφυκὼς οὐ πάθοις κ' οὐδὲν κακὸν*
*κατθανών· ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' οὐρανόν.*

Eandem esse causam suspicor, cur Zeller (II pg. 17) de Euripideis quas tractamus sententiis dicat „dass sie theils auf die Lehre des Anaxagoras und Archelaus, theils auf Orphisch-Pythagorische Ueberlieferungen zurückweisen."

2) *Μετεμψυχώσεως* placitum Orphicis proprium erat, sed ignoratur num praeter mythica illa etiam *φυσικῶς* quidquam de morte statuerint, vel saltem disputaverint. Commemoratur liber Orphicus *Φυσικά*, e quo verisimile est Aristotelem (de Anima I, 5 pg. 485 B) rettulisse haec: *τοῦτο δὲ πέπονθε καὶ ὁ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς καλουμένοις ἔπεσι λόγος. φησὶ γὰρ τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι ἀναπνεόντων φερομένην ὑπὸ ἀνέμων*, unde tamen nihil consequimur, quod a vulgari opinione eius aetatis multum discrepet. Insuper valde incerta est eius libri auctoritas.

3) Valck (pg. 55) confert Lucretii quaedam simillima (I 216, II 991—1022), quae unde poeta Romanus petiverit reperire non potui. Nullum enim exstare videtur testimonium, quo Epicurus, cuius disciplinam numeris clausit, ea docuisse tradatur. Quamquam Munroe affirmat locos illos omnino Epicurum redolere.

liter secutus sit. Sententiae enim, quae nobis hanc disputandi copiam dederunt, non tam subtiles sunt et abstrusae ut non aliqua ex parte ipse meditando excogitare potuerit. Quare mihi non videor temere concludere, contendens nostrum e cognitione dogmatum praeceptoris aliorumque philosophorum, e recordatione Anaximandrei placiti, e propria quoque naturae contemplatione et commentatione hausisse et collegisse illam legem: omnia ad ea redire unde orta sint, corpus in terram, aethereas partes in aethera [1]).

Tandem quod me justo diutius detinuit fr. 836 relicto ad alia convertar. Quoniam de terra locuti sumus statim quaedam subjicienda videntur ad fr. 938:

*καὶ γαῖα μῆτερ· Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ*
*βροτῶν καλοῦσιν ἡμένην ἐν αἰθέρι,*

quae Macrobius (Sat. I, 23, 8) adhibet ad illustranda verba Platonis in Phaedro (pg. 274 *a*): *μένει δὲ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη*, »quia haec sola quam terram esse accepimus manet immobilis intra domum deorum, id est intra mundum, ut ait

---

1) Verumtamen animum attendas ad Heracl. Pont., Alleg. Hom. (pg. 76 ed. Show.): *Πᾶν γὰρ τὸ φυόμενον ἔκ τινων, εἰς ταῦτα ἀναλύεται διαφθειρόμενον, ὡσπερεὶ τῆς φύσεως ἃ δεδάνεικεν ἐν ἀρχῇ χρέα κομιζομένης ἐπὶ τέλει. Διὸ δὴ τοῖς Κλαζομενίοις δόγμασιν ἑπόμενος Εὐριπίδης φησί· χωρεῖ δ' ὀπίσω τὰ μὲν ἐκ γαίας κ. τ. λ.*

Hoc ergo testimonium meae sententiae aperte repugnat, declarans Eur. in his praeceptorem secutum esse. Est tamen cur Heraclidem errare putem. Primum nemo alius scriptor simile quidquam de Anaxagora rettulit. Tum verba citata tantopere Anaximandrum sapiunt ut vix dubitem eum quod sit Milesii tribuisse Clazomenio.

Credes mihi, opinor, collatis his: *ὡσπερεὶ τῆς φύσεως, ἃ δεδάνεικεν ἐν ἀρχῇ χρέα κομιζομένης ἐπὶ τέλει* cum illis Anaximandri jam supra laudatis: *ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γενέσθαι κατὰ τὸ χρεών· διδόναι γὰρ αὐτὰ τίσιν καὶ δίκην ἀλλήλοις τῆς ἀδικίας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν*, quibus verbis v. cl. Land exponit designari damnum et detrimentum *τῷ ἀπείρῳ* (quod principium posuerat) illatum, quum se variae res ab eo separarent, et hoc modo compensandum. Haec simillima nonne sunt? Praeterea paullo ante scripserat Heracl.: *ἀλλ' ὁ Κλαζομένιος Ἀναξαγόρας, κατὰ διαδοχὴν γνώριμος ὢν Θαλῆτος, συνέζευξε τῷ ὕδατι δεύτερον στοιχεῖον τὴν γῆν, ἵνα ξηρῷ μιχθὲν τὸ ὑγρὸν ἐξ ἀντιπάλου φύσεως εἰς μίαν ὁμόνοιαν ἀνακραθῇ*. Quae sunt ista somnia et deliramenta? Quis docuit? Ego alia ratione expedire nequeo quam ut eum hac in re quoque Anaxagoram cum Anaximandro confudisse statuam et opinatum esse *τὸ ἄπειρον* ex aqua et terra fuisse compositum. Eo magis autem id suspicor quod nomini subjecit: *κατὰ διαδοχὴν γνώριμος ὢν Θαλῆτος*. Mihi igitur Heraclidis observationem ut inexplicabilibus erroribus implicatam prorsus negligere nulla est religio.

Eur. cet". Idem respicere videntur Platonis verba apud Plut. Περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ (pg. 954 F): ὅθεν οὐ κατὰ χώραν μόνον ἀλλὰ καὶ κατ' οὐσίαν ἀμετάβλητον (τὴν γῆν sc.) Ἑστίαν ἅτε δὴ μένουσαν ἐν θεῶν οἴκῳ [κλιττα] προςηγόρευσαν οἱ παλαιοί, διὰ τὴν στάσιν καὶ πῆξιν.

Quaeritur quinam sint οἱ σοφοὶ βροτῶν Euripidi, οἱ παλαιοὶ Plutarcho. Neque responsum promptum desiderabitur. Theologumena Arithmetica (pg. 7 ed. Ast) hoc offerunt: καὶ δὴ Εὐριπίδης ὡς Ἀναξαγόρου γενόμενος μαθητὴς οὕτω τῆς γῆς μέμνηται, Ἑστίαν κ. τ. λ. Suspicor hoc novum esse exemplum illius »μανίας" omnia quae poeta dixit ad Anaxagoram revocantis, quem talia docuisse nusquam apparet.

Prellerus (I. pg. 328 sq.) putat etiam fabulam (Hymn. Hom. in Aphrod. vs. 24 sqq.), qua narrentur Neptunus et Apollo Vestam sibi in matrimonium petivisse, significare eam eandem esse quae terra, quam scilicet sol = Apollo assidue conspiciat, mare = Neptunus amplectatur. Eamque dehinc vulgo terram esse habitam, imprimis a philosophis poetisque philosophantibus.

Huius tamen rei nullum testem Euripide priorem citat, neque satis explicat qua ratione cum terra permutari coeperit.

Me judice Vesta initio fuit, quae semper mansit, foci dea. Quapropter (Hymn. in Aphrod. vs. 29)

τῇδε πατὴρ δῶκεν καλὸν γέρας ἀντὶ γαμοῖο,
καί τε μέσῳ οἴκῳ κατ' ἄρ' ἕζετο πῖαρ ἑλοῦσα.

Focus enim erat medius aedium locus, ubi sacra fiebant, et quo in rebus solemnibus tota familia convenire solebat, itaque evasit symbolum totius domus [1]) familiarisque conjunctionis. Societas humana magna esse familia habebatur, quo factum est ut civitates quoque suum haberent focum, qui eodem loco semper sustineretur summaque veneratione coleretur. Sic focus erat velut sedes stabilis omnibusque communis. Hac ratione suspicor τοῖς σοφοῖς βροτῶν, quos jactat Euripides, quum totum mundum una contemplari coepissent, terram, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ auctore Hesiodo (Theog. 117), ξυνὴν πάντων θεῶν auctore Homero (Il. XV. 193) visam esse sedem illam mediam, immuta-

1) Ipsum quoque vocabulum ἑστία ut apud nostrates saepe totam domum significat; vid. Aesch. Cho. 264, Pers. 865, Soph. Aiax 860, Oed. Col. 633.

bilem, communem totius mundi. Exinde collata foci divinitate personam nomenque Vestae in eam transtulerunt (cf. Plut. locus supra allatus). Sic eo ineptiarum perventum est ut eadem haberetur et omnium rerum animantiumque mater et virgo aeterna: *καὶ γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ βροτῶν καλοῦσιν* [1])!

Verum videamus qui tandem fuerint viri illi sapientes. In libello de anima mundi, quod Timaei Locri nomine fertur, *γᾶ* vocatur *ἑστία θεῶν* (pg. 97 D) congruenter iis quae supra disputavi. Timaeus fuit philosophus Pythagoreus; sed libellus iste videtur nonnisi Platonici Timaei esse epitome. In eo sane libro ista verba non leguntur, sed epitomes scriptor ea manifesto usurpavit, quod Plato terrae medium mundi locum assignaverat (nam excerpti pg. 97 D congruit cum Platonis pg. 40). Constat Platonem in philosophia naturali multum e disciplina Pythagorica desumpsisse. Potest igitur fieri ut auctor istius libelli indidem suam terrae appellationem petiverit.

Probe sentio quam levis sit haec suspicio; sed nescio quid me impellit ut eius appellationis auctoritatem Pythagoreis ascribam; fortasse hoc quod mythica physicis copulata exhibet; vel quod theocrasia a theologia Orphica, quae iis non pauca suppeditasse videtur, profecto non aliena est (v. infra in Parte III B, de theocrasia). Accedit quod Pythagoreorum nonnullos terram *ἑστίαν* vocasse traditum est; at ambigitur utrum posteriores tantum an etiam priores.

Proclus (in Euclid. Elem. pg. 48) de iis loquens ait: *καὶ γὰρ Ἑστίαν καλοῦσι τὴν γῆν τινες*. Simplicius disputans (ad Aristot. de Coelo II, 13) de igne centrali vulgo *Ἑστίᾳ* vocato, quem Philolaus procul a terra in medio mundo collocaverat (v. Plac.

---

1) Dion. Hal. II. 66 agens de cultu Vestae apud Romanos affirmat eos in contrariam partem disputantes deae ignem sacrum existimare quia terra proprie sit: „*Ἑστίᾳ δ' ἀνακεῖσθαι τὸ πῦρ νομίζουσιν ὅτι γῆ τε οὖσα ἡ θεὸς καὶ τὸν μέσον κατέχουσα τοῦ κόσμου τόπον τὰς ἀνάψεις τοῦ μεταρσίου ποιεῖται πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς*". Quae argumenta haud dubie petita sunt e disciplina Pythagoreorum posteriorum, qui ignem centralem, unde sol et astra lucem acciperent, in media terra collocaverant (vid. Zeller pg. 383—394). Ovidius Fast. VI 267 habet:

„Vesta eadem quae terra. Subest vigil ignis utrique",

quam explicationem poetam suspicor de suo potius quam ab aliis veterioribus acceptam protulisse. Nusquam exstant testimonia Vestam antiquissimis temporibus eodem modo quo Hephaestum igni subterraneo vel universo igni praefuisse.

Phil. III. 9) οἱ δὲ, ait, γνησιώτερον αὐτῶν (τῶν Πυθαγορείων sc.) μετασχόντες πῦρ μὲν ἐν τῷ μέσῳ λέγουσι τὴν δημιουργικὴν δύναμιν τὴν ἐκ μέσου πᾶσαν τὴν γῆν ζωογονοῦσαν καὶ τὸ ἀπεψυγμένον αὐτῆς ἀναθάλπουσαν [1]).

Sed, ut dixi, certi nihil ex his consequi possumus.

---

# CAPUT III.

## METEOROLOGICA QUAEDAM.

Hinc trahor ad pauca verba vulgo relata ad quoddam Anaxagorae placitum, quod dicitur vehementer perturbasse civium mentes. Diog. L. in Anaxagorae vita, II. 10, haec refert: φασὶ δ' αὐτὸν προειπεῖν τὴν περὶ Αἰγὸς ποταμὸν γενομένην τοῦ λίθου πτῶσιν, ὃν εἶπεν ἐκ τοῦ ἡλίου πεσεῖσθαι. ὅθεν καὶ Εὐριπίδην μαθητὴν ὄντα χρυσέαν βῶλον εἰπεῖν τὸν ἥλιον ἐν Φαέθοντι. Euripides igitur in Phaethonte solem dixit esse auream glebam. Priusquam ad ipsa verba Euripidea accedamus breviter de praeceptore videndum est.

Alibi Diogenes testatur (II. 12) hunc solem vocasse μύδρον διάπυρον; quod Clazomenii placitum adeo inclaruit ut a plurimis commemoretur scriptoribus (quorum locos vid. apud Schaubach p. 139 sq.; mihi Platonem Apol. 14 et Xenophontem Memor. IV tantum nominavisse satis est). Nec mirum, siquidem dicitur auctori accusationem et exsilium contraxisse.

Novum ergo et inauditum erat hoc placitum physicum? Minime vero. Quicumque cognoverat doctrinas philosophorum ignorare non poterat jamdudum coeli phenomena ad causas physicas omnia revocari [2]). Democritus ipse invidiose dixisse fertur

---

1) Ex hisce Procli (in Euclid. Elem. 48): καὶ πρὸς τούτοις ὁ Φιλόλαος κατ' ἄλλην ἐπιβολὴν τὴν τοῦ τετραγώνου γωνίαν Ῥέας καὶ Δήμητρος καὶ Ἑστίας ἀποκαλεῖ· διότι γὰρ τὴν γῆν τὸ τετράγωνον ὑφίστησι διότι καὶ στοιχεῖόν ἐστιν αὐτῆς προσεχές.... efficias ipsum Philolaum terram vocasse ἑστίαν; verum dubia est huius testimonii fides.

2) Anaximander docuerat sidera concrevisse ex aëre rotato, solemque esse circulum plenum ignis (Plac. ph. pg. 390 A), Heraclitus item sidera conjecit esse corpora

(a Favorino apud Diog. L. IX, 7, 34) Anaxagorae placita illa de sole lunaque non propria esse, verum antiquiora, eumque suffuratum esse. Quaeritur ergo cur tanta indignatio subito animos Atheniensium occupaverit. Cuius rei paulo altius repetendae sunt causae.

Philosophiae non in Graecia proprie dicta sed in coloniis Ionicis (in Asia Minore et Thracia) et Doricis (in Sicilia et Magna Graecia) fuerunt incunabula, neque ante Socratem ullus fuit philosophus Atheniensis. Anaxagoras primus Athenas introduxit studium sapientiae [1], cuius progressuum cives adhuc ignaros fuisse, nisi si qui peregrinati studiorum sedes visitassent, non temere mihi concludere videor. Quid eum incitaverit ut in eam urbem migraret nusquam traditur perspicue. Veteres recentioresque non dubitaverunt jactare urbis splendorem studiumque eruditionis. Concedo, sed addendum videtur eum non novisse civium indolem. Nam decus illud Graeciae quamvis floruerit literarum et artium studio, multosque tulerit viros in republica administranda belloque gerendo insignissimos, quamdiu *αὐτονομίᾳ* gaudebat numquam philosophiae favit. Tunc demum, quum sub Romanorum dicione esset, omnisque libertatis artium poeseos gloria evanuisset, sapientiae studiosis stabilem certamque praebuit sedem. Fuerunt quidem et antea multi hoc studio praestantissimi, velut Socrates, Plato, Aristoteles, virique eruditi non pauci qui, quamquam non ei soli vacantes, magnum inde ad ingenium excolendum caperent subsidium, sed exceptis uno et altero nemo eorum, nisi imo pectore absconderet meditationes suas, securam vitam agere potuit imminente perpetuo mortis vel exsilii aut certe accusationis periculo. Exemplo sunt Anaxagoras, Protagoras, Diagoras, Socrates, Aristoteles cet. Erant enim Athenienses populus superstitiosissimus; de pietate sua erga deos semper gloriabantur [2], et quamquam eos in scena comica sine ulla reverentia rideri minime indignabantur, neque ipsi profecto in quotidianis sermonibus semper iis parcebant, non tamen — ut utar verbis Plutarchi (v. Nic.

---

ignea. Xenophanes solem constare *ἐκ πυριδίων τῶν συναθροιζομένων μὲν ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως* (Plac. phil. ibid.), Empedocles solem esse ignis ingentem massam.

1) Diog. L. Archelaum id fecisse referens errare videtur, v. Zeller pg. 926, Schaubach pg. 22 sq.

2) Ex cunctis locis unum nominabo Soph. O. Col. 1006 sqq.

c. 23) — physicos ferebant et *μετεωρολέσχας* qui vocabantur, quippe ad causas caecas et vires fortuitas et perturbationes necessarias numen divinum redigentes[1]); — similes ergo pueris qui ludentes pupas suas ridicule tractant et male mulcant, at vim et contumelias inferunt iis qui eas adimere conentur. Quibus perpensis finge tibi philosophum studiis omnia posthabentem, qui in illo populo maxima ex parte inerudito librum ederet, quo neglectis omnibus diis prorsus nova, civibus inaudita, cum eorum pietate pugnantia doceret, nec miraberis talem virum *ἀσεβείας* esse accusatum.

Nam primum tenendum est eum non eruditis sed plebi in suspicionem venisse; tum accusatores, sive fuit Cleon sive Thucydides, cum Diopithe sacerdote magis sibi proposuisse ut Periclem vexarent et frangerent amicis accusatis, quam ut philosopho nocerent[2]). Sed probe sciebant nulla re facilius quam impietatis suspicione aliquem civibus in odium adduci posse; et exinde hoc crimen in civilibus discordiis evasit instrumentum ad opprimendos adversarios efficacissimum.

Noli tamen credere unum illud, solem esse *μύδρον διάπυρον*, tantum ei attulisse periculum. Sine dubio totus liber crimine impietatis tenebatur[3]), sed fortasse nullum deum, quem populus utpote beneficum veneraretur, ab eo repudiari tam perspicuum erat quam solem, ita ut ex variis accusationis capitibus hoc exemplum insignissimum posteritati sit traditum.

Hunc ergo secutus Euripides solem in Phaethonte *χρυσέαν βῶλον* vocasse perhibetur. Qui Diogenis locus viris doctis multa facessivit negotia. Nam qui idem narrat Scholiasta in Pind. (Ol. I. 97) pro Phaethonte citat verba ex Oreste (982), ad quem

---

1) Quod Eur. ipse non sine acerbitate significavit his Medeae versibus (295):

*χρὴ δ' οὔποθ' ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ*
*παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς·*
*χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν ἀργίας*
*φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ.*
*σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ*
*δόξεις ἀχρεῖος κοὐ σοφὸς πεφυκέναι·*
*τῶν δ' αὖ δοκούντων εἰδέναι τι ποικίλον*
*κρείσσων νομισθεὶς λυπρὸς ἐν πόλει φανεῖ.*

2) Cf. Plut. in v. Pericl. c. 32.

3) Socrates enim in Plat. Apol. pg. 26 D dicit: *ὅτι τὰ Ἀναξαγόρου βιβλία .... γέμει τούτων τῶν λόγων.*

locum Schol. Eur. idem affirmare videtur. Ad Hippol. 601 quoque in schol. citatur *χρυσέα βῶλος*, omisso tamen dramatis nomine. Inde ampla nascitur ad conjiciendum materies. Sunt qui sibi videantur eam vocem repperisse in fr. (771) Phaethontis, a Strabone I pg. 33 servato, ubi pro verbis Ἥλιος ἀνίσχων χρυσέᾳ βάλλει φλογὶ legendum censuerunt χρυσέᾳ βώλῳ φλέγει (Barnes. Forster. Valck.). Quae tamen conjectura mihi audacior videtur. Quum enim iste versus corruptelae nullum prae se ferat indicium, quin potius rectius se habeat melioremque praebeat sensum quam emendata scilicet illa lectio, mutare nolim testimonio unius Diogenis saepissime errantis obsecutus.

Censuit igitur Matthiaeus illis verbis potius respici Or. 982 sqq., quibus Electra querelas fundens ait:

μόλοιμι τὰν οὐρανοῦ
μέσον χθονός τε τεταμέναν
αἰωρήμασι μυρίαις
πέτραν ἁλύσεσι χρυσέαισι φερομέναν
δίναισι βῶλον ἐξ Ὀλύμπου,
ἵν' ἐν θρήνοισιν ἀναβοάσω
γέροντι πατρὶ Ταντάλῳ.

Ego tamen neque huic opinioni accedere possum. Nullam solis significationem perspicere possum in verbis βῶλος μέσον οὐρανοῦ χθονός τε τεταμένα ἁλύσεσι χρυσέαις φερομένα. Scholia quidem monent ei, qui id non intelligat quomodo sol e catenis pendens circumferri possit, reputandum esse Euripidem physica et mythica confundere; verum neque physice istarum catenarum usquam mentio fit neque mythice. Quid quod additur φερομέναν ἐξ Ὀλύμπου. Num haec physica sunt de sole placita an mythicae fabulae? Nolo tamen unumquodque verbum ponderare, quia mihi nondum in integrum restituta videtur lectio haud dubie corruptissima.

Praeterea affirmant Scholia Tantalum ut manibus passis coelum portaret condemnatum fuisse. Ut mittamus coelum aliud esse aliud solem, tamen hanc fabulam a posterioribus demum fictam esse mihi est persuasum, Euripidem contra secutum fuisse antiquiorem et vulgatiorem mythum quo rupes eius capiti imminere dicitur, quemadmodum apud Archilochum (fr. 48 apud Bergk.):

Μηδ' ὁ Ταντάλου λίθος,
τῆςδ' ὑπὲρ νήσου κρεμάσθω.

et Pindarus (Ol. I. 90):

*ἄν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον,*
*τὸν αἰεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν εὐφροσύνας ἀλᾶται.*

Neque ego in istis Orestis versibus aliud quidquam videre possum nisi magnam rupem quodammodo supra Tantali caput suspensam, quam interpretationem nonnullis placere in iisdem scholiis affirmatur [1]).

Verum in insignem minimeque spernendam sententiam incidi apud scriptorem, quem ut hac de re consulerem mihi numquam in mentem venisset. Goethe, poeta omnium disciplinarum gnarus, ad Euripidis Phaethontem (cuius instaurationem propositam maximo cum artis detrimento perficere non potuit) de illa voce quaedam annotavit (Sämmtl. W. Stuttgart Tom. V, pg. 657). Contendit primum Phaethontis casum uno tantum tonitrus strepitu significatum nullam coeli perturbationem effecisse, qualem Nonnus et Ovidius finxerunt, sed eodem modo evenisse veluti cum

---

1) Eustathius etiam narrat Tantalum, quod velut Anaxagoras solem lapidem igneum dixisset, eo modo ab ipso sole punitum esse! (ad Odyss. XI. 581): *ἄλλοι δὲ φιλόσοφον γεγονότα τὸν Τάνταλον δοξάσαι εἶπον μύδρον εἶναι τὸν ἥλιον καὶ μὴ σῶμά τι θεῖον καὶ γέμον ἀρρήτων δυνάμεων, ὅθεν ἡλίου χόλῳ τιμωρεῖσθαι λίθου διηνεκεῖ καταφορᾷ ἠρτημένου χρυσῆς καὶ ὡς εἰπεῖν ἡλιώδους ἀλύσεως — Ἡλίῳ γὰρ ἡ τοῦ χρυσοῦ ὕλη ἀνακεῖται — ἵνα περὶ ὃ ἔσφαλτο ἐκεῖθεν εἴη αὐτῷ ἡ ποινή, ἄνωθεν δηλαδὴ καὶ διὰ ἡλιώδους ὕλης καὶ διὰ λίθου, ὃς δὴ ὁμοειδής τις τῷ μύδρῳ ἐστίν.*

Tota res mihi tenebris obducta videtur. Omnino notatu dignum est quod nonnisi pauci quidam et recentes auctores Euripidis consensionem cum Anaxagora referunt. Placitorum phil. scriptor, qui saepe Anaxagoreis dogmatis congruentia Euripidis subjicit, hoc omisit. Quae omnia me moverunt ut sic se rem habere conjicerem.

In Orestis versibus opinati sunt glebam, quae media inter coelum et terram in aëre penderet, nihil aliud significare posse nisi solem. Nam schol. Pind. (ad Ol. I), quem hunc locum respicere nullus dubito, dicit: *ἔνιοι δὲ ἀκούουσι τὸν πέτρον ἐπὶ τοῦ ἡλίου. τὸν γὰρ Τάνταλον φυσιόλογον γενόμενον καὶ μύδρον ἀποφήναντα τὸν ἥλιον ἐπὶ τούτῳ δίκας ὑποσχεῖν, ὥστε καὶ ἐπαιωρεῖσθαι αὐτῷ τὸν ἥλιον, ὑφ' ᾧ δειματοῦσθαι καὶ καταπτήσσειν.* Quum simul in animum veniret Anaxagorei placiti, in promptu erat testari Euripidem solem vocasse *χρυσέαν βῶλον*, ad exemplum praeceptoris. Quo audito alius quispiam parum diligenter instituta lectione affirmat in Phaethonte solem ita vocari, quoniam scilicet in hoc dramate de sole plurimus erat sermo (qui error eadem ratione a Matthiaeo explicatur). Sic per varias ambages et errores eo venimus confusionis, ut ab omnibus iam quaeratur quo tandem loco Eur. solem vocaverit *χρυσέαν βῶλον*, nec conjecturis abstineri posse videatur ut ei restituatur id quod numquam dixerit!

Sentio tamen incertam esse suspicionem, quare eam nonnisi in annotatione minutis expressam typis proferre ausus sum.

lapis e coelo decidat cum brevi fragore. Quum autem Diogenes L. placitum Euripideum — solem esse χρυσέαν βῶλον — subjiciat et repetat a narratione qua Anaxagoras dicitur lapidis casum de sole apud Aegos potamos praedixisse[1]), concludit G. vocibus χρυσέᾳ βώλῳ potius juvenem flagrantem, decidentem de coelo quam solem designari. Nec tamen mirandum esse apud Diog. solem legi, nam: »in der Verflechtung eines solchen Augenblicks (sc. quo Jupiter, ne omnia miscerentur, statim juvenem, solis munere fungentem fulminis ictu deturbavit) ist es gleichlautend, ob die Sonne selbst, oder, sich absondernd von ihr, ein feuriger Metallklumpen, oder der wagehalsige Führer als entzündetes Meteor herunter stürzt. Höchst willkommen musste dem hochgebildeten Dichter dieses zweideutige gewesen sein um seine Naturweisheit hier eingreifen zu lassen". Tum relato testimonio Aristotelis (Meteor. I. 8), quo Pythagorei feruntur dixisse in Phaethontis interitu lapides decidisse, addit: »Hieraus ergiebt sich denn, dasz die Alten das Niederfallen der Meteorsteine durchaus mit dem Sturze Phaethons in Verknüpfung gedacht haben". Qua conjectura ego quidem quaestionem solutam esse non contendam, nam potest rogari qui factum sit, si revera illa vox in Phaethonte fabula legeretur, ut scholiastae supra (p. 61 sq.) memorati id non viderint; sed tamen disputatio summo viro non indigna, ad quam philologi non satis attendisse videntur, in partes vocanda videbatur. Rem decernere equidem non audeo. Sed sive Euripides Phaethontem quasi lapidem de sole decidentem sive ipsum solem vocavit χρυσέαν βῶλον, non ideo necessarium puto id ad magistri auctoritatem revocare, cui solem placuit esse μύδρον διάπυρον. Non enim idem est; hoc significat lapidem igneum; illud glebam auream. Haec vocabula pro illis poetice usurpari potuisse profecto non negabo, sed rogo num necesse sit statuere revera ita fuisse usurpata. Nonne poetae naturae rerum studioso, quum solem contemplaretur (vel lapidem »meteoricum"), etiam sine philosophiae auxilio idem animo occurrere potuit?

Inter Phaethontis fragm. praeterea de sole leguntur alii duo

---

1) Ait enim: ὅθεν καὶ Εὐρ. κ. τ. λ., vid. pg. 59.

senarii, qui vulgo ad rerum naturam referuntur. Vitruvius (IX, 1,13) de sole disputans Euripidis laudat hunc vs.:

καίει τὰ πόρρω, τἀγγύθεν δ' εὔκρατ' ἔχει,

cui admodum probabiliter a Barnesio praemittitur hic senarius a Stobaeo servatus (Ecl. I. 25,3. pg. 540):

θερμὴ δ' ἄνακτος φλὸξ ὑπερτέλλουσα γῆς (vid. fr. 776).

Valckenaerius (pg. 33) annotat eum hoc paradoxon: solis supra terram orientem flammam regiones longiores urere, propioribus vero temperare — fortasse in schola Anaxagorae didicisse. Liceat mihi diversam exponere opinionem, quae statim legenti ultro se obtulit.

Si Anaxagoras jam idem docuisset, verisimile est hoc nobis posteriorum aliquem traditurum fuisse, — Vitruvius ipse negligere vix potuisset, — eo magis, quod quantum ego scio, nemo certe antecedentium et aequalium, immo ne succedentium quidem philosophorum simile quid evulgaverit. Scribit Valck.: »Versus superstes poetam philosophum monstrat in rebus naturae ut erant tum tempora satis exercitatum". Ego vero vehementer dubito istud dogma vere paradoxon veluti naturalem legem eo tempore positum esse.

In mentem mihi venit interpretatio humilior et vulgarior.

Necesse fuit regem Meropem proxime aedes Phoebi habitare. Primum enim res in Aethiopia gerebatur; deinde Meropis uxor Clymena Phoebo pepererat filium Phaethontem, cui inter duas domus paternas facile breveque commercium patere debuit. Tamen praestitit producere regionem temperato coelo amoenam, hominesque Graecis similes, nec barbaros solis propinqui igne in nigra corpora tostos [1]), quos cives Athenienses, opinor, in scena non tulissent. Sicui naturae nimis repugnare videntur Aethiopes candidi, is poeticae libertatis rationem habeat. Ἥλιος πατὴρ omnino prodit deus potentissimus imperium tenens caloris solaris, cui suo arbitrio habenas immittere et temperare possit. Sic roganti Phaethonti, an incolumis eius domum intrare possit, mater respondet: ille cavebit ne corpori tuo noceat:

κείνῳ μελήσει σῶμα μὴ βλάπτειν τὸ σόν (fr. 775, v. 6).

---

1) Observandum est in fr. 771 eius regionis vicinos (γείτονας) vocari μελαμβρότους.

Nihil igitur mirandum est eum populum quoque, in cuius finibus habitet, quemque valde diligere putandus sit, lenius fovere quam longinquos ignotosque homines. (cf. annot. in pg. priore). At poeta admirationi theatri Aethiopes candidos spectantis occurrendum censuit, quapropter in prologo ad explicandam hominum speciem simpliciter dixit:

θερμὴ δ' ἄνακτος φλὸξ ὑπερτέλλουσα γῆς
καίει τὰ πόρρω, τἀγγύθεν δ' εὔκρατ' ἔχει [1]),

de quaestionibus naturalibus vero ne cogitavit quidem.

Quae interpretatio mihi simplicior et probabilior videtur quam legis naturalis suspicio.

A sole ad lunam facillimus est transitus. Antigone in Phoenissis lunam sic alloquitur (vs. 175): ὦ λιπαροζώνου θύγατερ Ἀλίου Σελαναία, .... ubi in schol. annotatum est: Hesiodus Selenam Solis sororem dicit, »Αἰσχύλος δὲ καὶ οἱ φυσικώτεροι θυγατέρα, παρόσον ἐκ τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς μεταλαμβάνει ἀμέλει καὶ πρὸς τὰς ἡλιακὰς ὑποστάσεις μεταμορφοῦται ἡ σελήνη".

Quam opinionem in schol. ad Aratum (v. 455) in universum »tragicis" tribuitur [2]). Si spectatores censemus continuo intellexisse Selenam ideo Solis filiam vocari quia lumen ab eo accipiat, statuamus necesse est hoc jamdudum notum fuisse. Nec non inter philosophos Anaximenes Parmenides Empedocles Anaxagoras idem docuerant.

Cum locutus sum de animi et corporis in morte dissolutione, hos senarios citavi (pg. 147):

ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα (fr. 961).

Apud Plutarchum, De defectu orac. pg. 416, Cleombrotus his illustrat opinionem naturam proposuisse deorum et hominum velut exempla et imagines, deorum scilicet solem et astra, mor-

---

1) Cf. Welcker, die Griech. trag., cet., II pg. 596: „wo übrigens dem Namen Aethiopen zum Trotz, die Sonne nicht brennend, die Luft lieblich gemässigt ist, ganz natürlich wie hier, wie in den Fröschen die Sonne der Unterwelt ist wie hier."

2) Badhamus vero pro ἀλίου legendum proposuit Λατοῦς, assentientibus Nauckio et Hermanno.

talium subitos fulgores, cometas, stellas caducas »ὡς Εὐριπίδης εἴκασεν ἐν οἷς εἶπεν· ὁ δ' ἄρτι κ. τ. λ.".

Hoc mihi exemplum esse videtur studii illius late patentis verbis simplicissimis eliciendi sensum abstrusum et reconditum. Siquem illa imago poetica non possit delectare, nisi mythicam aliquam rem vel physicam significari sibi persuadeat, potius putato popularem spectari opinionem ab Aristophane (Pac. 832) memoratam: homines mortuos stellas fieri.

Sed pereant istae nugae; ne sic quidem omnia congruunt! Quid praeterea esse potest et venustius et sensu clarius quam virum in aetatis flore exstinctum comparari cum stella modo apparente et statim evanescente? At Cleombroto res simplices displicent. Valck. (pg. 57) versus supra laudatos spectans apud Plut. pro διᾴττοντας, ὡς Εὐριπίδης εἴκασεν ἐν οἷς εἶπεν κ. τ. λ. legendum proposuit διᾴττοντας, οὓς Εὐρ. εἴκασε θνητοῖς ἐν οἷς εἶπεν κ. τ. λ., et ne sic quidem contentus pergit: »nec in his discessisse ab Anaxagorae sententia monstrat comparatio et verbum ἀπέσβη. Censuit enim Anaxagoras τοὺς καλουμένους διᾴττοντας ἀπὸ τοῦ αἰθέρος σπινθήρων δίκην καταφέρεσθαι διὸ καὶ παραυτίκα κατασβέννυσθαι".

O nimiam eruditionem, quae non mortalia cogis pectora? Videtur etiam praestantissimos viros sensus communis aliquando deficere. Quasi enim nemo, cui modo incolumis sit acies oculorum, de stella evanescente vocem istam singularem ἀποσβῆναι possit excogitare, nisi philosophorum in schola educatus eorumque praeceptis imbutus! Me judice poeta haec omnia nihil moratus vitam viri ὑπὲρ αἶσαν mortui simpliciter comparavit cum διᾴττοντι. Si praeterea mihi assenseris conjicienti hos senarios sive e cognomini fabula sive aliunde petitos Phaethontem designare, qui Jovis ictus fulmine vere »διοπετὴς" est mortuus, habebis comparationem omnibus numeris perfectam et absolutam.

Quoniam egimus de coeli phaenomenis et de Valckenaerii studio Euripidis verba simplicia ad μετεωρολογικὰ praeceptoris revocandi, huius studii subjiciam aliud exemplum, eo clarius quod ne constat quidem versus in eo tractatos revera ab Euripide compositos esse. Apud Stobaeum (Flor. 64, 31) tres hi citantur trimetri omisso scriptoris nomine de Sphingis colore:

*εἰ μὲν πρὸς αὐγὰς ἡλίου, χρυσωπὸν ἦν*
*νώτισμα θηρός· εἰ δὲ πρὸς νέφη βάλοι,*
*κυανωπὸν ὥς τις Ἶρις ἀνταυγεῖ σέλας,*

quos Valck. (pg. 194 sq.) conjecit ex Euripidis Oedipo desumptos esse. Quod quidem per me licet; verum quare se non tenuit quin de Anaxagora aliquid adjiceret? Scholion enim Leidense ad Hom. Il. XVI 547 protulit, quo legitur: *Ἀναξαγόρας δέ φησιν· Ἶρις νεφέλῃσιν ἀντιλάμπει τῷ ἡλίῳ.* Non igitur Euripides suo ingenio eam comparationem Sphingis et arcus coelestis excogitare potuit? Mihi videtur quisquis fuit illorum versuum scriptor hoc tantum voluisse: sphingis tergum, prout in luce aut in umbra positum esset, splenduisse variis coloribus, ut Iris variis splendet coloribus, sive quales habet Iris; quemadmodum Hom. Il. XI 26:

*κυάνεοι δὲ δράκοντες ὀρωρέχαται προτὶ δειρὴν,*
*τρεῖς ἑκάτερθ', ἴρισσιν ἐοικότες, ἅστε Κρονίων*
*ἐν νέφεϊ στήριξε, . . . . .*

Nam nisi hoc modo interpreteris liberius, falsa est comparatio. Numquam enim arcus colores variat, neque solem vel nubem repercutit. Semper ut appareat sol et nubes concurrant opus est et semper idem manet. Isto quoque Scholio Anaxagoras nihil dixit nisi hoc: Iris in nubibus ex adverso solis fulget[1]; cur igitur Valck. confert sententiam, quae nihil aliud docet quam id quod unusquisque potest videre, nisi eam male intellexerit?

Si poeta imaginem adhibere volebat, quae prorsus congrueret, potius mare componere debuisset, quod prout solis radios excipit aut nubibus a sole intercluditur *χρυσωπὸν* apparet aut *κυανωπόν*. Vs. tertio particula *τις* quoque leviter offendit, quapropter, nisi arcus coelestis comparatio quodammodo Homeri auctoritate defenderetur, paene suspicarer pro *κυανωπὸν ὥς τις Ἶρις* legendum esse *κυανωπὸν ὡς σίδηρος ἀνταυγεῖ σέλας.*

Probus in Virg. Ecl. VI. 31, ut explicet vocem inane aëra significare e tragoedia Cadmo haec citat vitiose scripta (fr. 451):

---

1) Quemadmodum in Plac. Phil. III. 5 de Iride dixisse fertur: *„ἀνάκλασιν ἀπὸ νέφους πυκνοῦ τῆς ἡλιακῆς περιφεγγείας καταντικρὺ δὲ τοῦ κατοπτρίζοντος αὐτὸ ἀστέρος διὰ παντὸς ἵστασθαι.*

*οὐρανὸς ὑπὲρ ἡμᾶς καινῶς Φοιτῶν ἕδος δαιμόνιον*
*τόδ' ἐν μέσῳ τοῦ οὐρανοῦ τε καὶ χθονός,*
*χάος μὲν ὀνομάζουσι.*

Nauck habet *οἱ μὲν ὀνομάζουσι χάος*. Quamquam perdifficile est his versibus genuinam restituere scripturam [1]), verborum tamen sensus non obscurus est: id quod sit inter coelum et terram — sive aëra — (a quibusdam) vocari chaos". Quaeritur a quibus ita vocetur.

Scholion quoddam ad chaos apud Hesiodum in expositione originis mundi (vs. 116) habet: *χάος δὲ λέγει τὸν κεχυμένον ἀέρα· καὶ γὰρ Ζηνόδοτος (οὕτω) Φησί*. Dubito tamen an Hésiodus hac voce designaverit aëra quo vivimus. Subjectum est: *Βακχυλίδης δὲ χάος τὸν ἀέρα ὠνόμασε λέγων περὶ τοῦ ἀετοῦ· νωμᾶται δ' ἐν ἀτρυγέτῳ χάει*, quae verba a Bergkio inter fragm. Bacchylidea recepta sunt. In Aristoph. Nub. Socrates quoque enumerans quos ipse veneratur deos dicit (vs. 424):

*τὸ χάος τουτὶ, καὶ τὰς νεΦελὰς, καὶ τὴν γλῶτταν, τρία ταυτί.*

ubi schol.: *χάος λέγει τὸν ἀέρα παρὰ τὸ κεχύσθαι*; et Av. 192 Pithetaerus, avibus suadens ne permittant nidorem sacrorum ad deos surgere per aëra, ait:

*διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους*
*τῶν μηρίων τὴν κνῖσαν οὐ διαΦρήσετε.*

Suspicor illud vocabulum a poetis lyricis primum pro aëre usurpatum esse et sensim in linguam irrepsisse, ita ut Aristophanes sine ulla explicatione poneret, quum Euripides »*ὀνομάζουσι*" vel etiam »*οἱ μὲν ὀνομάζουσι*" addidisset.

---

1) Valck. lusit (pg. 12): *οὐρανός θ' ἡμᾶς ὕπερ·*
*καὶ γῆ, βροτῶν κοινόν τε δαιμόνων θ' ἕδος·*
*τὸ δ' ἐν μέσῳ τοῦ τ' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς*
*χάος μὲν ὀνομάζουσιν.*

# CAPUT IV.

## TERRESTRIA QUAEDAM.

De coelo per aëra redeamus ad terram. Ab antiquissimis temporibus jam quaerebatur quibus de causis Nilus flumen quotannis in aestate cresceret; variasque in partes de hac re disputabatur. Euripides paucis locis, quibus huius fluminis facit mentionem, indicat incrementum illud effici nivibus in Aethiopiae jugis solutis. In primis Helenae versibus hoc legitur:

Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαί,
ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει γύας.

In fr. 280 ex Archelao servato (Rhet. vol. 8. p. 577):

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
Νείλου λιπὼν κάλλιστον ἐκ γαίας ὕδωρ,
ὃς ἐκ μελαμβρότοιο πληροῦται ῥοὰς
Αἰθιοπίδος γῆς, ἡνίκ' ἂν τακῇ χιὼν
τέθριππ' ἐλῶντος Ἡλίου κατὰ χθόνα.

Scriptor anonymus dissertationis de Nilo huius sententiae auctorem refert Anaxagoram, „ὡσαύτως δὲ καὶ Εὐριπίδην καὶ ἑτέρους τινὰς τῶν τραγῳδοποιῶν." Herodotus (II. 19 sqq.) narrat se ab ipsis Aegyptiis nihil de hac re didicisse, sed cum leni irrisione addens Graecorum quosdam sapientiae gloriam captantes triplices causas invenisse, hanc quoque opinionem proponit, cuius tamen auctorem nominare praetermittit. Seneca de eadem re quaestione instituta (Quaest. nat. IV. 2, 17 sqq.) ab Anaxagorae sententia incipiens subjicit: „in eadem opinione omnis vetustas fuit. Hoc Aeschylus, Sophocles, Euripides tradunt".

Loci Aeschylei huc pertinentes supersunt hi. Suppl. 559 Aegyptus vocatur λειμὼν χιονόβοσκος, in fr. 304 a scriptore diss. de Nilo servato haec leguntur:

Αἰθιοπίδος γῆς, Νεῖλος ἔνθ' ἑπτάρροος
γαῖαν κυλίνδει πνευμάτων ἐπομβρίᾳ,
ἐν δ' ἥλιος πυρωπὸς ἐκλάμψας χθονὶ
τήκει πετραίαν χιόνα·

Quoniam tragici omnes in ea opinione fuisse videntur, suspicor eam sententiam iis temporibus satis vulgarem fuisse, vel certe eruditioribus hominibus innotuisse, neque igitur Anaxagorae sed vetustiori cuidam philosopho deberi, cuius nomen cum in oblivionem abisset, ad Clazomenium, qui eam adoptasset, auctoritatem translatam esse.

Philosophorum physicorum animos haec quoque quaestio imprimis agitabat, utrum in animalium generatione mas solus an et femina semen praebeat. Erant qui contenderent non minus feminam quam marem esse vitae auctorem; reliqui marem solum semen praebere, unde foetus nasceretur, feminam locum tantum, quasi agrum, et alimenta. Hanc sententiam Valck. (pg. 29) refert inter placita ab Euripide a praeceptore accepta. Quod ad Anaxagoram attinet praecipuum est Aristotelis testimonium, qui (de generatione Anim. IV. 1) quaerens quomodo mas fiat aut femina ait: *Φασὶ γὰρ οἱ μὲν ἐν τοῖς σπέρμασιν εἶναι ταύτην τὴν ἐναντίωσιν εὐθύς, ὥστε Ἀναξαγόρας καὶ ἕνιοι τῶν Φυσιολόγων· γίνεσθαί τε γὰρ ἐκ τοῦ ἄρρενος τὸ σπέρμα, τὸ δὲ θῆλυ παρέχειν τὸν τόπον. καὶ εἶναι τὸ μὲν ἄρρεν ἐκ τῶν δεξιῶν τὸ δὲ θῆλυ ἐκ τῶν ἀριστερῶν, καὶ τῆς ὑστέρας τὰ μὲν ἄρρενα ἐν τοῖς δεξίοις εἶναι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖς.*

Cum hoc loco tamen Plac. Phil. (II. 7) non congruunt et etiam Censorinus (de d. nat. V) disertis verbis contrariam opinionem Anaxagorae ascribit, sc. non solum patrem sed et matrem semen praebere.

In dubiis judicio abstinere satius est. Verum constat apud Euripidem Orestem dicere in cognomini fabula (vs. 552):

*πατὴρ μὲν ἐΦύτευσέν με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς,*
*τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα·*
*ἄνευ δὲ πατρὸς τέκνον οὐκ εἴη ποτ' ἄν.*
*ἐλογισάμην οὖν τῷ γένους ἀρχηγέτῃ*
*μᾶλλόν μ' ἀμῦναι τῆς ὑποστάσης τροΦᾶς·*

et in fragm. 1048 (ap. Stob. Flor. 79, 27 pg. 455) legi:

*στέργω δὲ τὸν Φύσαντα τῶν πάντων βροτῶν*
*μάλισθ'· ὁρίζω τοῦτο καὶ σὺ μὴ Φθόνει·*
*κείνου γὰρ ἐξέβλαστον· οὐδ' ἂν εἷς ἀνὴρ*
*γυναικὸς αὐδήσειεν ἀλλὰ τοῦ πατρός.*

Constat praeterea hoc, sive idem docuit Anaxagoras, sive pugnantia, tragicis tamen usitatum fuisse placitum, siquidem apud Aeschylum quoque in Eumenidibus (658 sqq.) Apollo ex eo gravissimum petit argumentum ad excusandum Orestis matricidium. Poetis profecto in promptu esse debuit comparatio patris cum satore, matris cum agro recipienti et nutrienti. Apud Homerum et Hesiodum quantum scio eius exemplum nullum invenitur, sed temporibus Pericleis in ore omnium erat, verbaque *ἀροῦν*, *σπείρειν*, *φυτεύειν* passim usurpabantur pro *γεννᾶν*. Exempli gr. Aesch. Sept. 752: *ὅστε ματρὸς ἁγνὰν σπείρας ἄρουραν*, Soph. Oed. R. 1256: *μητρῴαν δ' ὅπου κίχοι διπλῆν ἄρουραν, οὗ τε καὶ τέκνων* [1]).

Haec quaestio, quid mater ad generationem conferat, sine dubio inter eruditiores eius temporis jam multum tractata erat. Et quamquam vix pro certo potest statui quis primus huiusmodi sententiam expresserit, Euripidem tamen, quem saepe Aeschylum respicere vidimus, hac in re scenica ad Orestem quoque pertinente, poetae potius exemplum sibi imitandum proposuisse quam alicuius physiologi vestigiis ingressum esse quovis contenderim.

Nostrum multiplicia disciplinarum genera delibasse praeterea declarat sententia quae artem medicam attingit, fr. sc. (683) e Scyriis servatum:

*ἡ παῖς νοσεῖ σοῦ κἀπικινδύνως ἔχει.*
*πρὸς τοῦ; τίς αὐτὴν πημονὴ δαμάζεται;*
*μῶν κρυμὸς αὐτῆς πλευρὰ γυμνάζει χολῆς;* (*χολῇ* Valck.)

Artem medicam belli Peloponnesiaci temporibus vere condidit et excoluit Hippocrates Cous, qui fertur, quamquam incertis testimoniis, Athenis multos pestilentia laborantes sanasse. Philosophorum tamen plerique eiusdem artis nonnumquam singulas partes tractabant. Superest hoc Aristotelis testimonium (de part. Anim. IV. 2): *οὐκ ὀρθῶς δ' ἐοίκασιν οἱ περὶ Ἀναξαγόραν ὑπολαμβάνειν ὡς αἰτίαν οὖσαν τῶν ὀξέων νοσημάτων τὴν χολήν· ὑπερβάλλουσαν γὰρ ἀπορραίνειν πρός τε τὸν πνεύμονα καὶ τὰς φλέβας καὶ τὰς πλευράς.* Dicas haec respicere fr. illud supra allatum, ubi etiam fel lateribus nocere dicitur. Tum ob-

1) Cf. praeterea Soph. O. R. 1212, 1497 sq., Trach. 32 sq.

servandum est Aristotelem sententiam relatam non ipsi Anaxagorae ascribere sed τοῖς περὶ 'A., i. e. scholae Anaxagoreae. Videmur igitur posse concludere eum aut ignorasse cui proprie esset ascribenda, aut Euripidem solum spectasse eiusve condiscipulum, quem poeta quoque, placito ad formam simpliciorem redacto, fuerit secutus.

Reliquae sententiae, ad rerum naturam quodammodo pertinentes, velut de coeli variis tempestatibus cum vitae humanae casibus comparatis (fr. 332), de temperie coeli Graeci (fr. 971), de mensium numero in quem horae distribuuntur (fr. 980), de astro Lucifero (fr. 999) leviores et vulgariores sunt quam ut materiem disputationis praebere possint [1]).

---

# CAPUT V.

## CONCLUSIO. EURIPIDES NULLIUS SCHOLAE SECTATOR.

Hisce absolutis restat ut confecta ratione concludam quid de tota re statuendum videatur.

In examinandis sententiis Euripideis ad rerum naturam pertinentibus comparandisque cum philosophorum placitis, primum vidimus testimonium illud, quod quibusdam comprobare visum sit poetam omnes doctrinas Anaxagora priores repudiare, nullius fere esse pretii; tum inter praeceptoris dogmata quaedam inveniri congruentia, sed nonnullis in rebus tam dubiam et levem esse utriusque consensionem, ut nemini in mentem venturum fuisset Anaxagorea conferre, nisi poetam eum audivisse traditum esset. Quaedam deinde injuria ad rerum naturam relata potius ad res scenicas pertinere. Nonnulla denique, quae Anaxagoras prorsus similia docuisset, etiam Aeschylo innotuisse, qui eum audire non potuerit.

Vehementer igitur errant, qui omnia ad Anaxagorae scholam

---

1) Dicta de naturae vi leges et praecepta superanti in eum locum distuli, ubi de virtute et moribus erit disserendum.

revocent, poetamque huius philosophia penitus imbutum fuisse contendant [1]).

Immo id quod doctrinae Anaxagoreae vere caput dixeris atque cardinem, apud Euripidem ne commemoratur quidem! In expositione originis mundi desiderantur particulae illae individuae, ὁμοιομέρειαι quae vocantur, quibus omissis jacet tota Anaxagorae physica.

Videte praeterea quid huic in mundi conformatione et conservatione maximam habeat vim. Apud Diog. L. II. 3 (Schaubach fr. 17): Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησεν. Apud Simpl. in Aristot. Phys. pg. 67*a* (fr. 18): ἐπεὶ ἤρξατο ὁ νοῦς κινεῖν ἀπὸ τοῦ κινουμένου παντὸς ἀπεκρίνετο. Ibid. pg. 33*b* (fr. 8): ὅσα γε ψυχὴν ἔχει καὶ πλείω καὶ ἐλάττω, πάντων νοῦς κρατεῖ. καὶ τῆς περιχωρήσιος τῆς συμπάσης νοῦς ἐκράτησεν, ὥστε περιχωρῆσαι τὴν ἀρχήν ..... καὶ τὰ συμμισγόμενά τε καὶ ἀποκρινόμενα καὶ διακρινόμενα, πάντα ἔγνω νοῦς. καὶ ὁποῖα ἔμελλεν ἔσεσθαι, καὶ ὁποῖα ἦν, καὶ ὅσα νῦν ἐστι, καὶ ὁποῖα ἔσται, πάντα διεκόσμησε νοῦς· καὶ τὴν περιχώρησιν ταύτην, ἣν νῦν περιχωρέει τά τε ἄστρα, καὶ ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη, καὶ ὁ ἀήρ, καὶ ὁ αἰθήρ, οἱ ἀποκρινόμενοι.

Atqui νοῦς ille, qui introductus in physicam totius philosophiae rationi novam aperuit viam, quo tantopere et a superioribus et ab aequalibus philosophis differebat Clazomenius, ut ei ipsi sive derisionis sive honoris causa cognomen ὁ νοῦς sit datum, apud tragicum prorsus desideratur. Videtur sane contradicere fragmentum (596) ap. Clem. Alex. (Strom. V. p. 717) aliosque servatum:

σὲ τὸν αὐτοφυῆ τὸν ἐν αἰθερίῳ
ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ',
ὃν πέρι μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία
νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ' ἄστρων
ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.

Quibus versibus invocatur vis naturalis sive deus, qui fingitur

---

1) **Bouterwek (de Eur. phil. in comm. soc. Gött. t. IV) quoque observavit, quam exigua sit in rebus physicis magistri discipulique cognatio; sed quum contendere non auderet hunc illum non esse secutum, statuit eum subtilia placita non intellecta male rettulisse.**

medius sedens rotatione totum mundum continere. Etsi autem Anaxagoras docuit mentem esse vim effectricem et motricem per universas res fusam, posterioresque demum ei divinitatem tribuerunt, tamen non negaverim pro ratione poeseos illud canticum aptari posse ad Anaxagorea de mente deque *περιχωρήσει* placita. Neque huc locos afferam declarantes priores quoque philosophos motum rotantem docuisse; nemo enim ei dederat auctorem conscium, prudentem, divinum. Sed alia est causa cur parum valeat adversus meam opinionem fragmentum supra allatum; nempe citatur id e tragoedia Pirithoo, quam ab Eur. abjudicandam esse vix licet dubitare; cum Sisypho enim ab antiquis criticis Critiae fuit ascripta. Apud Athen. XI. 496 *b* dubitatur *ὁ τὸν Πειρίθοον γράψας εἴτε Κριτίας ἐστὶν ὁ τύραννος ἢ Εὐριπίδης*, et secundum vitam I (apud Dind. pg. 17): *τὰ πάντα δ' ἦν αὐτῷ δράματα ϙβ', σώζεται δὲ οη'. τούτων νοθεύεται τρία, Τέννης, Ῥαδάμανθυς, Πειρίθους*[1]). De qua re Welcker (II. pg. 1008): »Man sieht deutlich, dasz der Peirithoos, der von Kennern dem Euripides abgesprochen, dem Critias von denselben, denn darauf bezieht sich Athenaeus, beigelegt wurde; und dasz ebenso der Sisyphus in die Sammlung der Euripideischen Stücke aufgenommen war; die Verwandschaft des Geistes und des Stils mochte dazu Anlasz gegeben haben."

Quae autem veteribus criticis subditicia sunt visa, quum adhuc multa non suspecta ferrentur quae postea spuria esse apparuit, ea procul dubio subditicia sunt. Valckenaerium, qui multus est (pg. 38 sqq.) in demonstrando cantico illo significari mentem Anaxagoream mundi aedificatricem, annotationes illae manifesto fugerunt. Cognitas enim profecto refutare conatus esset, neque Pirithoum numerasset in fabulis non dubitanter genuinis.

Nulla est igitur istius Pirithoi fragmenti auctoritas.

Etenim rogo num sit verisimile poetam, si revera doctrina praeceptoris penitus esset imbutus, tot locis, quibus de mundo exponat, mentis nullam mentionem facturum, verum summam divinitatem aetheri plerumque tributurum fuisse[2]).

---

1) Cf. quoque vit. III (apud Dind. pg. 19).

2) fr. 1007 *ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεὸς* non huc pertinere infra ex-

Num, si eius disciplinam toto animo recepisset, tanta inconstantia inter varias religionis formas fluctuasset tantamque dubitationem [1]) quid de summis rebus censeret prae se tulisset? Tum si in rebus physicis eius expressisset placita, nonne praecipue inseruisset fabulis eo vivo scriptis?

Quibus consideratis ac ponderatis si recordamur quam simplicia et plana sint dogmata Euripidea et quam similia iis, quae jam veteres docuerant genealogi poetaeque recentes, concludendum nobis esse videtur eum expressisse cogitationes, quae eruditioribus inter aequales communes et familiares essent cunctis. Nam ut omittam Aeschylum et Sophoclem, quem quamvis tragoediis suis nihil, quod ab arte tragica alienum esset, admiscere soleret, aliquando tamen sapientium doctrinas respicere accepimus [2]), nonne oraculum Delphicum olim ab Alcmeonidis corruptum, recentiore memoria a Themistocle ipsius arbitratu explicatum, testimonio est remotis jam temporibus praeter philosophos viros fuisse, qui non omnia ad deorum nutum fieri crederent? Quos in legendo Hesiodo intellexisse puto *Οὐράνου καὶ Γαίας* matrimonio significari coelum terram imbribus fecundans, atque omnino ad causas physicas revocasse non quidem omnia, sed multa quae superstitiosae plebi non sine divina opera confici posse viderentur.

Quo sensu de antiquissimis mythologiae scriptoribus a Clem. Romano (Recogn. ad Jacob. l. X) utiliter annotatum est: »Horum ergo scripta in duas partes intelligentiae dividuntur i. e. secundum literam et secundum allegoriam, et ad ea quae secundum literam sunt ignobilis turba confluxit. Ea vero quae secundum allegoriam constant omnis philosophorum et eruditorum loquacitas admirata est."

Anaxagorasne ergo nihil ad Euripidis ingenium formandum contulisse censendus est? Minime vero. Nam is profecto ingenium

---

ponetur. Cf. Brandis I. pg. 519 not. „Wenngleich Euripides augenscheinlich der Lehre des Anaxagoras ergeben war, .... doch scheint er sich ebensowohl von dem wahren Mittelpunkte der Anax. Lehre, als vom Glauben der Väter entfernt zu haben, wenn er den Aether mit dem Zeus identificierte".

1) Cf. Troad. 884 sqq., fr. 904.

2) In vita Arati pg. 274: *καὶ Σοφοκλῆς Δία τὸν ἥλιον καλεῖ λέγων· Ἥλιος οἰκτείρειέ με, ὃν οἱ σοφοὶ λέγουσι γεννητὴν θεῶν καὶ πατέρα πάντων.*

eius discendi cupidum excitavit ad studium sapientiae, moribusque (ut pg. 23 vidimus) ostendit exemplum continentiae et severitatis. Cuius viri imaginem non est cur non Valck. (p. 26) credamus eius animo obversatam esse, cum in philosophorum laudes haec caneret (fr. 902):

ὄλβιος ὅστις τῆς [1]) ἱστορίας
ἔσχε μάθησιν
μήτε πολιτῶν ἐπὶ πημοσύνην
μήτ' εἰς ἀδίκους πράξεις ὁρμῶν,
ἀλλ' ἀθανάτου καθορῶν φύσεως
κόσμον ἀγήρων, πῇ τε συνέστη
καὶ ὅπη καὶ ὅπως.
τοῖς δὲ τοιούτοις οὐδέποτ' αἰσχρῶν
ἔργων μελέτημα προσίζει.

Sed quemadmodum Pericles ex Anaxagorae consuetudine gravitatem quidem et sublimitatem (Plut. v. Per. c. VIII) sed nullum physicum systema videtur accepisse, sic neque noster hac in re solidi quidquam ei acceptum referre poterat.

In commentandis scriptoribus multi viri docti quotiescunque incidunt in sententiam, quam etiam ex antiquiore aliquo scriptore notam habeant, etiamsi haudquaquam sit singularis, protinus tamen solent annotare posteriorem imitatum esse priorem! Quamquam non nego in literis classicis non raro scriptores, Latinos praesertim, superiores sibi consulto imitandos proposuisse, tamen ad certa illa exempla omnia referendi consuetudo dicam an libido saepe mihi modum excedere videtur. Non enim singulorum hominum mores et ingenium ad unum aliquod exemplum exprimuntur, cuius imaginem quam fidelissime referant, verum subsidiis ex innumeris hominibus rebusque ductis et propria mente conversis conformatisque excoluntur et firmantur. Ita noster quoque e naturae contemplatione, e cognitione placitorum multorum philosophorum, ex Anaxagorae disciplina, e poetarum lectione, e veteri theologia, ex usu aequalium, e natu maiorum eruditione, quae sensim et furtim manat in juniorum animos, ex hisce omnibus mente receptis propriaque cogitatione refictis hausit simplices illas quas recensuimus de natura

1) V. conjecit γῆς.

sententias; et hac ratione factum est ut aliquam habeant similitudinem cum omnibus illis eruditionis subsidiis.

Quod genus philosophandi ut alio quodam exemplo illustrem, in memoriam reduco Epicharmum, poetam Siculum, qui optime cum Euripide potest comparari, licet non tragicam sed comicam Musam coluerit. Pariter enim atque Euripides a juventute philosophiae studebat, ita tamen ut semper magis esset poeta quam philosophus, neque umquam certam sequeretur doctrinam [1]). Fertur etiam in comoedias suas multas inseruisse sententias philosophicas, — quarum inter fragmenta servata documenta nonnulla habemus, — quae posteriores ad easdem ineptias induxerunt ac sententiae Euripideae [2])! Illum non minus quam tragicum nostrum philosophi admirati sunt [3]), et videtur omnino velut Euripides [4]) fuisse poeta omnis scientiae aeque studiosus [5]).

---

1) V. Zeller II. pg. 25 „Alles zusammengenommen sehen wir wohl dass Epicharmus der Philosophie seiner Zeit nicht fremd blieb, zugleich aber auch dass er keiner Schule ausschliesslich anhieng, sondern von den Meinungen seiner philosophirenden Zeitgenossen in freierer Weise für sich verwandte was ihm Beachtung zu verdienen schien." Cf. etiam I. pg. 460. Bernhardy II. 2 pg. 521.

2) Bernh. ibid. pg. 523 „Neuere wähnten dass er seine Comoedien zum Versteck der Pythagorischen Dogmen gemacht habe."

3) ibid. pg. 524. Zeller I. pg. 460 sq. refutat Alcimum apud Diog. L. III. 9, sq. contendentem Platonem magnam disciplinae partem ab Epicharmo recepisse.

4) Observa nusquam fortasse maiore gratia quam in Sicilia Euripidem floruisse, cuius versus qui captivi Athenienses (in bello Sic.) memoriter tenebant, feruntur ab hostibus vinclis emissi vel alimentis refecti esse (Plut. in v. Nic. c. 29).

5) Ion quoque Chius poeta tragicus philosophiae studuit.

# PARS III.

## QUID EURIPIDES SENSERIT DE REBUS DIVINIS.

## A. PROLEGOMENA.

---

## CAPUT I.

### DE RELIGIONIS GRAECAE ORIGINE ET RATIONE.

Religio Graeca, ut omnes religiones quae complures docent esse deos, orta est e naturae contemplatione. Unamquamque partem mundi, quae propria quadam vi moveri mutari generare videbatur, velut coelum, terra, mare, ventus, sol, astra, ignis cet., homines primigenii, ut adhuc non raro in infantibus fieri videmus, animatam esse credebant [1]). Quas res quum sentirent se multo esse potentiores, vereri primum coeperunt. Habebant enim et nocendi et favendi vim paene infinitam, variasque has affectiones specie quoque declarare videbantur; coelum enim quo tempore propitium erat et serenum, laetum videbatur; quum infensum esset, obscurum, iratum, triste; itaque mox homines

---

1) Id Democritus intellexit dicens diis popularibus subesse principia naturalia et moralia. Jovem enim esse aëra superiorem sive aethera, Minervam mentem; has deinde imagines poeticas transiisse in personas, quae reapse vivere et vigere crederentur (ap. Clem. Protrep. c. 6. 68). Prodicus (apud Sext. Math. IX. 51 f.) putabat homines antiquissimos iis tantum phaenomenis naturalibus, quae sibi usui essent, divinitatem ascripsisse.

non caeca vi sed libera mente et voluntate ea moveri putantes [1]) revereri quoque coeperunt; et quoniam res secundae et adversae in eorum potestate erant donis placanda censuerunt.

Postquam iis autem mentes inesse visae sunt materiae dominatrices variisque affectibus, velut dolori, laetitiae, irae obnoxiae, humano igitur animo omnino similes, magis magisque hae a provincia sua avocari hominibusque aequari coeptae sunt, ita ut tandem etiam figuram corpusque humanum induerent et mox nihil humani a se alienum putarent. Uxores enim ducebant, liberos procreabant, amoribus pelliciebantur, rixas et dissidia habebant, versabantur in caede fraude rapina. Exinde ingenium Graecum ad fingendum proclive et aptum horum deorum vitam ornavit innumerabili fabularum varietate non amplius conjunctarum cum prima natura, a qua tantopere recedebant ut ii, qui omnium fere celeberrimo cultu florerent, Athena et Apollo et Hermes, unde originem ducerent vixdum appareat.

Ita igitur nata est universa mythologia crevitque in anthropomorphismum illum qui vocatur, quem inde ab antiquissimis literarum Graecarum monumentis perfectum et absolutum videmus.

Apparet ex his et ex eo quod affectus quoque et perturbationes, quibus genus humanum natura expositum est, in deorum numerum recipiebantur, notione divinitatis nihil contineri nisi potentiam hominibus superiorem, justitiam vero et sanctitatem haudquaquam cum ea conjunctas fuisse. Itaque dii, quippe corporis mentisque viribus homines superantes, etiam vehementiores habebant voluptates, quibus non minus quam illi indulgentes maiora quoque perpetrabant scelera. Nam ad id quod petebant consequendum viribus semper valebant.

Haec quoque est causa cur homines, licet deos illos non solum flagitiosissimos esse sentirent sed etiam ipsi gravissimas saepe injurias ab iis acciperent, eos non detestati sint, quin etiam raro iis irascerentur. Ab hominibus antiquioribus enim iis qui omnia impune facere poterat omnia concedi solebant; ipsis praeceptis

1) Notandum est eodem modo in ipsius philosophiae initiis primum vim, qua materia moveretur, ab ea non separatam fuisse, sed postea (apud Anaxagoram) transiisse in Mentem separatam, liberam, consciam, rerumque potentem.

moralibus superiores videbantur [1]). Quare hominibus pie colendi erant dii; quorum potentiae cedere noluisse summae esse videbatur superbiae et pravitatis. Una autem eademque causa obstitit quominus deorum scelera indignarentur homines et quominus illorum exempla sequi sibi licitum putarent aut saepius ea suis ipsorum peccatis praetenderent. Quod enim dii sibi nihil denegabant, id non erat cur homines sibi indulgerent; poterant enim illi impune, hi non poterant [2]).

Nostra autem aetas, quae praecepta moralia omnemque vitae sanctitatem potissimum a religionis institutione repetere solet, vehementer miratur quomodo factum sit, ut homines antiqui, quibus non modo nulla esset institutio divina sed etiam dii ipsi cujusvis pravitatis auctoritatem ostenderent, non proni ruerent in cuncta scelera, neque prorsus degenerarent in feras, quin imo easdem virtutes, quas nos, commendarent et colerent, eadem nobiscum vitia improbarent et detestarentur.

Videtur mihi natura ipsa omnibus hominibus quandam justitiae et sanctitatis notionem statim cum vitae luce tribuere. Sunt enim, ut ait Cicero, ingeniis nostris semina innata virtutum [3]). His autem seminibus in gentium juventute nascuntur virtutes paucae admodum et simplicissimae, veluti herbae parvae atque agrestes; dum autem gentes aetate procedunt hae virtutes vitae usu quasi ab aliquo horti procuratore excoluntur et purgantur ita ut recentissimae cuique progeniei semina uberiora et puriora suppeditent. Hanc autem justitiae notionem ab ipsa natura datam efficere arbitror ut gentium mores numquam tantopere sancti-

1) Eadem ratione Romani imperatoribus suis tot annos plura permiserunt flagitia quam ulli antea mortalium quia tantam haberent potestatem quantam nemo antea mortalium. Ideoque scelestissimis illis Caesaribus satis erat mori ut in immortalium numerum referrentur!

Quid quod apud nos adhuc multum valet haec lex velut naturalis. Nonne regibus divitibusque plura ignosci solent quam civibus et plebi? Legem poteram notissimis verbis vocare „jus validissimi". Quod tamen verebar ne in errores duceret. Nos enim quum ea voce utimur „potestatem validissimi" potius significamus quam jus. Nam injuriam semper putamus, siqui viribus solis nixi debiliores opprimunt. Antiquissimis vero temporibus id utpote naturae congruens vere justum habebatur.

Notes denique veniam et facultatem aliquid faciendi frequenter eodem designari vocabulo, velut *ἐνδέχεται*, licet.

2) Neque enim nos peccatis excusationem petimus e regum principumque exemplis.

3) Cf. etiam Protagorae mythum de *δίκῃ* et *αἰδοῖ* hominibus a Jove tributis.

tate inter se differant quam religiones. Nam eae, quae deum colunt sanctissimum summaeque virtutis praeceptorem, ut par est, plurimum infra exemplum suum manere solent; quae vero deos impuros colunt, tamen ipsae illa notione instigatae rectius vivere conantur.

Nec tamen exigua contemnendave est illa morum distantia. Christiani enim homines multa improbant quae Graecis permissa et honesta videbantur, et profecto rectius sanctiusque quam illi vivunt. Religio enim innatam illam justitiae notionem valde excoluit et emendavit. Num apud Graecos quoque religio vim habuit ad eam formandam, sed cum impura esset contaminavit, corrupit, depravavit? Minime gentium. Nam potest haec notio aliquamdiu opprimi bellorum civiliumque dissidiorum fluctibus, qui feris paene homines aequant, sed ubi resedit tempestas protinus emergit et resurgit neque in perpetuum deleri potest. Hanc igitur Graeci quoque potius sequendam esse intellexerunt quam exempla suorum deorum, hanc reveriti sunt nomine *νόμων ἀγράφων*, quorum originem nemo indicare possit [1]), quos qui violare audeat apud omnes flagret ignominia [2]). Quare hic quoque melior vicit res; et quum apud Christianos religio emendaret conscientiam recti, apud Graecos contra recti conscientia correxit religionem, et hac quidem ratione ut quo magis confirmaretur et excoleretur eo plures virtutes muneraque moralia diis tribueret.

Haec religionis conformatio et progressio ab antiquissimo tempore usque ad Euripidis aetatem persequenda esse videtur quo melius intelligamus quid ille de diis popularibus senserit.

1) Soph. Ant. 457.
2) Ut Pericles dicit ap. Thuc. II. 37; cf. praeterea Soph. Oed. R. 865, Xen. Memor. IV. 4, 19.

# CAPUT II.

## RELIGIO POPULARIS APUD SCRIPTORES EURIPIDE PRIORES.

Apud Homerum omnis deorum pravitas exponitur sine ullo fuco ullave dubitatione. Neque in aliis scriptis clarius apparent ipsorum inter se rixae et proelia, quoniam nusquam tam copiose describitur universa deorum civitas. Ab initio tamen ratio homines docuisse videtur tam discordi et turbulenta democratia mundum regi non posse. Nam Jupiter quidem omnium est rex, omnesque reliquos potentia et viribus superat, non ita tamen ut numquam ei resistere possint [1]); et quamquam ipse abstinet quominus hominibus pugnantibus praesens auxilium ferat, tamen variis amoribus cum genere humano est conjunctior quam ut sine partium studio res mortalium possit moderari [2]). Quare homines credebant superius esse aliquod numen, cuius jussa Olympii exsequerentur, cuius voluntate certe constricti essent. Ambiguum videtur utrum numen illud, quod *μοῖραν* appellabant, fatum sit stabile an fors; raro, nec nisi in rebus gravioribus eius fit mentio; in quibus ergo hac ratione cautum erat ne res humanae turbarentur deorum libidine, cum nemo horum *μοίρᾳ* resistere posset.

Jovi autem munus datum est curandi ut *μοίρας* jussa rata fiant [3]), quae non semper protinus novit sed aliquando investigare debet [4]). Dii facile aliquem servare possunt inque patriam restituere etiamsi longe absit; mortem tamen ab eo defendere non possunt si fatum eam allaturum est (Od. III. 231 sqq.) [5]).

---

1) v. Limburg Brouwer, Histoire de la civilisation morale et religieuse des Grecs Tom. VI p. 58: „bien que souvent Jupiter l'emporte, l'essence de la société divine est l'anarchie."

2) Vid. annot. 5.

3) Itaque cavet ne moenia Troiana ante tempus constitutum (*ὑπὲρ αἶσαν*) expugnentur (Il. XX. 30, XVI 707 et passim), et ut Argivi adverso Marte pugnent (VIII 75 sqq.) dirum terrorem iis incutit.

4) Velut in proeliis adhibita libra. Rursus homines aliquando fati decreta praesensione divinant. Cf. notissimus vs. bis pronuntiatus *ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή.*

5) Videtur tamen Jupiter Sarpedonis mortem aliquamdiu differre potuisse. A proposito vero desistit a Junone motus, ne reliquis diis exemplum det violandi *μοίρας* decreta.

Sunt tamen etiam aliae res quae procurationem desiderant, velut vitia humana. Monuit hominum notio justi et recti, quam supra memoravi, deorum esse ulcisci quaedam peccata, quorum judicium non penes homines esse videretur. Quare Jupiter, qui solus omnium deorum vulgo his fungitur officiis, perjuros destituere et exitio tradere creditur (Il. IV. 235), praesertim quum perjurium sit quaedam injuria ipsis diis illata; sed et superbos inexorabilesque perdit rogatu Litarum dearum; superbia enim homines nequaquam decet, nam *στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί* (IX. 496 sqq.) [1]); tum poenas sumit de iis qui hospites supplicesque contumelia afficiunt, quippe qui omnes a Jove mitti credantur (Od. IX. 269 sqq., XIV. 283 sq., 404 sqq.).

Hae fere sunt res, in quibus dii Homerici moribus prosunt. Ceteroquin virtutem parum curant neque iis, dummodo morem sibi gerere possint, umquam religio est homines ad scelera incitare; hi autem culpam in eos conferre et vel praesentes accusare, utpote familiariter cum iis viventes, non dubitant.

Dolosi et fallaces frequenter vocantur [2]) (Il. III. 365, XXII. 15. Od. XX. 201); Agamemnon in Argivorum concione se ipse innocentem esse testatur: Jovem enim et Parcam et Furiam *ἄτην* sibi immisisse quum Achillem praemio spoliaret. (Il. XIX. 86 sqq.). Nullus deus tamen Venere nequior est. Non solum Helenam ad adulterium impulit, quod omnes notum habent palamque ei objiciunt (Il. V. 349 sqq., Od. IV. 261 sq., cf. Il. III. 164 sqq.), sed etiam quum Helena jamdudum Menelaum desiderans acerbis verbis se eam in Paridis cubiculum secuturam negat, diris minis dea feminam in impudicitia perseverare cogit [3])

---

1) Tamen observandum est omnem poenam divinam induere speciem ultionis; etiam hac in re fictis Litarum personis, qui superbiam quasi injuriam sibi illatam punirent.

2) Quamvis fortasse jam nimius in his tractandis esse videar, me non contineo quin admoneam confusionis, quae nascitur ubi dii eiusdem peccati auctores et ultores esse dicuntur. Sic Agamemnon sibi persuasum habet Jovem Troianis perjuris auxilium non laturum sed eos pessime perditurum esse, quamquam Jupiter ipse Minervae permiserat ut Pandarum incitaret ad pactum cum Graecis violandum (Il. III 64 sqq.).

3) Plerosque autem locos, ubi immortales levissimi mortalesque in eos audacissimi inducuntur, viri docti magna probabilitate non ab ipso Iliadis poeta compositos sed a posterioribus insertos esse contendunt (vid. Bergk, Gesch. d. Griech. Literatur I. pg. 651); itaque ea quae plurimum offendunt fortasse non temporum illorum religioni ascribenda sunt. Nam malus poeta non aequalium opinionum imaginem veram referre

(Il. III. 389—417). Cavendum tamen est ne hanc rationem culpam scelerum a divina auctoritate repetendi moribus aequalium posterorumque multum nocuisse credamus. Alibi enim eos qui malefecerint graviter culpandos esse et ipsi sentiunt et reliqui (velut Il. VI. 344 sqq.). Qua de re in Odyssea (I. 32 sqq.) Jupiter utilissime testatur injuria homines malorum suorum culpam in deos conferre. Eos enim suis ipsorum sceleribus perire. In Odyss. Olympii omnino multo rarius quam in Il. pravi producuntur, multoque saepius justis adesse malosque perdere dicuntur [1]), ita ut Laertes comperta sponsorum caede exclamet (XXIV. 351) [2]):

*Ζεῦ πάτερ, ἦ ἄρ' ἔτ' ἔστε θεοὶ κατὰ μακρὸν Ὄλυμπον,*
*εἰ ἐτεὸν μνηστῆρες ἀτάσθαλον ὕβριν ἔτισαν.*

Vix opus est monere ubique pium deorum cultum commendari. Siquis iis paret, ei favent (Il. I. 218). Insani est cum iis pugnare; neque enim Lycurgus diu vixit, qui iis resistere ausus esset (Il. VI. 130 sqq.), atque Aiax Oïleus cum gloriaretur se etiam diis invitis maris periculo evasurum esse, protinus interiit (Od. IV. 504 sqq.).

Videmus igitur jam antiquissimis temporibus homines duce ratione et sanctitatis notione naturali non solum diis praefecisse numen superius constans et incorruptum, sed etiam iis ipsis paucis in rebus attribuisse morum censuram, quae initio non pertineret ad eorum naturam.

Exinde Jupiter in perpetuum manet perjurii ultor, patronus supplicum et hospitum. Sed et alia officia ei fiunt propria. Supra indicavi, quo magis emendaretur conscientia moralis eo plura munera in deos esse collata. Apud Hesiodum magnos jam percipimus progressus. Universe deos testificabatur esse malorum perditores, bonorum patronos. Justos Jupiter locupletat laetis messibus pecorisque fecunditate (Ἔργα κ. Ἡμ. 230 sqq., 280 sq.), injustos vero funditus perdit morbis et agrorum sterilitate (ibid. 241 sqq., 281 sqq.); triginta milia

---

censeri potest. At posteriores Graeci ipsi usque ad tempora Alexandrina Homerica omnia genuina duxerunt et quasi puro fonte mythologiae iis usi sunt.

1) Minerva ipsa Jove annuente perniciem eorum Ithacensium parat, qui absentis principis obliti erant, quamvis clementissimus semper fuisset (Od. V. 7—27).

2) At hic Od. liber non ab ipso poeta scriptus videtur. Vid. annot. 3 ad pg. proximam.

vigilum nubibus tectorum omnia quae in terra fiunt Jovi indicant [1]).

Eadem via pergunt poetae lyrici; sed distinguendi sunt
650 antiquiores et recentiores. Ab Ol. circiter 31 Graeci magis quam antea doctrinis religiosis rebusque ethicis studere coeperunt, cuius rei testimonia erant varia carmina theologica in Onomacriti schola composita, et lyrica multa quae versabantur in praeceptis moralibus edendis (gnomica). Ingenium moresque hominum in dies humanitate perpoliebantur simulque opiniones de diis emendabantur. Hoc tempore vocabula ὁ θεὸς et τὸ θεῖον usurpari coepta sunt pro diis universis, quasi in unum numen omnes confunderentur. Ceterum vulgo Jovi morum censura attribuitur. Hic omnia peccata ulcisci creditur a Solone (apud Bergk. Anthol. lyr. 13, 17); Bacchylides dicit eum omnia videre nec tamen doloris auctorem esse, verum justitiam omnibus hominibus in promptu esse (apud Bergk. fr. inc. 29); Archilochus eum justitiam injustitiamque hominum observare (ibid. epod. 88). Quid quod Simonides Cous (in epinicio) affirmat hominibus difficillimum esse probis fieri; in probitate manere autem, id quum humanam virtutem superet, τῷ θεῷ tantum tribui posse. Theognis non minus pius videtur, sed rebus adversis malorumque (an popularium?) felicitate exacerbatus aliquando querimoniis et accusationibus Jovis indulget, qui quamvis omnium hominum animos perspectos habeat, tamen probos et improbos eadem sorte afficiat (apud B. vs. 373 sqq.). Neque Pindari praeterire possum sententiam insignem de deorum natura, quae mihi optime opinionem popularem exprimere videtur. Idem dicit esse deorum hominumque genus eademque origine ortum, sed vires tam diversas esse ut hi fragiles atque adeo nulli sint, illi vero firmi atque sempiterni; quodammodo tamen iis comparandi sumus sive mentem sive figuram spectes, quamquam ignoramus quem in statum nos fortuna ducat (Nem. VI. 1—9). Deorum virtutes quoque praedicat, eos vero increpare ante omnia metuit, pravam eam judicans sapientiam (Ol. IX. 37 sq.).

Potentia divina a poetis lyricis omnibus frequentissime cele-

---

1) Vs. 122 sqq. id munus generi aureo exstincto mandatum esse dicit.

bratur. A diis hominibus omnia veniunt; nihil eos latet[1]). Imprimis Jupiter dicitur omnium rerum esse gnarus et potens; totius mundi imperium tenet, omnium rerum est principium[2]).

Sic Jupiter, cum in eum summa conferretur potestas, paulatim successit in locum μοίρας Homericae. Nec mirum. Postquam enim ipse nulli pravitati obnoxius, morum sanctorum patronus certus, ultor scelerum severus visus est, nihil amplius obstabat quominus ei summum rerum imperium deferretur. Etiam nunc quidem μοῖρα saepe commemoratur nec non τυχὴ, sed non amplius Jupiter diversa petit; in idem numen fere confusi esse videntur, et τυχὴ facta est Jovis filia. Miretur quis quomodo poetae haec omnia cum notis deorum vitiis flagitiisque convenire putaverint. Primum videntur mihi nondum summam virtutem in iis desiderasse; grati igitur venerabantur quodquod sapientiae justitiaeque documentum deprehendebant. Tum quia non necessario ii mythi qui eorum pravitatem ostendebant tractandi erant, discrepantiam raro animadvertebant. Nec tamen Pindarum certe eam fugisse luculenta quaedam declarant exempla. Aliquando enim in media narratione subsistit nec pergere vult, honesta tantum de diis narranda esse testans (Ol. I. 35, 52). Alibi plane enunciat celandum esse εἴ τις ἀνθρώποισι θεόσδοτος ἄτα προστύχοι. Sic est. Si quibus deorum natura a maioribus tradita et simul eorum sanctitas curae erat, eos existimo non diligenter pervestiganda sed celanda potius prava censuisse, et sic factum esse ut non perspicerent duas illas res colligari non posse.

Transeamus ad Herodotum, qui Sophoclis Euripidisque aequalis sed antiquiorum opinionum sectator aptius tractatur ante poetas tragicos. In eo ante omnia elucet persuasio imbecillitatis humanae; quam qui non agnoscant superbi ad nimiam potentiam tendentes, diisque se fere aequantes, eos funditus exterminari putat. Quin eo procedit ut etiam illos perituros existimet, qui ab ambitione et superbia vacui sola fortuna juvante

---

1) Theogn. 184, 171 sq. Archil. Tetr. fr. 56. Pind. Ol. I. 64.
2) Archil. epod. 88. Simon. Amorg. fr. 1. Terpand. fr. 1. εἰς Δία. Pind. Pyth. VI. 23 sqq.

aequales felicitate superent et ad divinam beatitatem justo propius accedere videantur. Τὸ θεῖον enim est φθονερόν, praeter se ipsum neminem sinit μέγα φρονεῖν neque semper esse felicem; quare optanda est vita mixta gaudio et dolore, statusque mediocritate tutus. Nam nullo modo sortem avertere possumus quum ne dii quidem fato resistere queant (I. 32 sqq., 91, III. 40, 43, 65, VII. 10).

Notissima haec sententia de invidia divina, quae haud dubie popularis [1]) fuit, injuria vulgo vituperata est, primum quum Herodotus unius tantum hominis perniciem narret prorsus nulla culpa compensatam [2]), in ceteris vero semper aliquod peccatum argumentetur, tum quoniam neminem per totam vitam beatum esse communis fere est omnium hominum opinio [3]).

Praeterea Herodotus affirmat humana flagitia a divino numine severe puniri. Sed non semper idem qui admisit poenas dat; saepe a seris demum nepotibus maiorum scelera divino supplicio expiantur (I. 91). Haec quoque sine dubio fuit superstitio popularis, quoniam aliis quoque populis familiaris erat. A fato omnia pendere passim pronuntiavit; cuius decreta dii aliquamdiu differre possunt, irrita facere nequeunt (I. 91 [4])).

Quamquam Herodotus leviores aliquas fabulas non raro causis naturalibus explicare maluit, tamen haec omnia documenta sunt animi pia deorum reverentia imbuti. Quin etiam si eum poetis lyricis compares, rudiores paene eius videntur opiniones de diis, nempe necessitati eos vult esse subjectos durissimosque ostendit erga homines. Verum poetae illi nulla re prohibiti cogitatione sibi summos deos fingere poterant; historico vero materia, quae

1) Cf. infra pg. 90.

2) Polycrates Samius. Nam Xerxes periit quod solus universae Asiae Europaeque imperium petivisset deosque superbe laesisset (VIII 109). Croesum interiisse verisimile est quod se ipse omnium hominum felicissimum existimasset (I. 34), et prae arrogantia oracula non intellexisset (I. 91); quamquam facinoris Gygis quoque poenas dabat in quinto genere.

3) Omnibusque naturalis. Quis nostrum nullam sentit reverentiam in accipiendis magnis bonis et felicitatibus; quis non libere iis frui gaudioque indulgere dubitat, veritus ne fortuna subito conversa omnia dissipet velut somniorum imagines? Quid hoc est nisi obscurus metus invidiae divinae?

4) Ibi Apollo testatur se vix tandem a fato impetrasse ut Croesi calamitates triennium differrentur.

eum cogebat naturam et veritatem presse sequi, ferreas leges quibus res humanae administrantur maiore vi inculcabat. Neque obliviscendum est eum quamvis tardam, constantem tamen et certam rationem humana vitia ulciscendi diis attribuisse.

Venio jam ad poesin tragicam, quae in eadem fere versabatur conditione. Nam quum justitia divina illustranda esset casibus eorum, qui severissimam eam experti essent, fieri non poterat quin dii duriores prodirent et crudeliores. Quod quum utique in poesi tragica vitatu difficilius esset quam in poesi lyrica, tum Aeschylus non in eorum erat numero, qui lubrica et ambigua in deorum natura et regimine praetermittenda vel consulto celanda censerent; verum audaci ingenio praeditus, studiosusque cognoscendi rerum rationes — *φιλόσοφος τῶν πάνυ*, ut ait Athenaeus (VIII. p. 347 E), — difficillima quaeque aggrediebatur. In paucis tamen fabulis, quae e tanto numero aetatem tulerunt, secum pugnantia indicare facilius est quam certam disciplinam ad quam omnia referantur.

Saepe commemorat fati necessitatem invictam. In Prometheo Jupiter non solum eius imperio subjectus est, sed etiam quid futurum sit ignorat et ne suapte quidem vi mentis cognoscere potest. Ambiguum videtur an Aeschylus omnia fato fieri credat; perspexit saltem quam sit difficile accurate definire quantum illi sit tribuendum, quantum liberae hominum voluntati. Clytaemnestra facinoris sui culpam et auctoritatem confert in *μοῖραν* vel *δαίμονα* (Choeph. 910, Agam. 1475 sqq.), et etiam chorus in maxima versatur dubitatione quem potissimum huius caedis auctorem habeat, Clytaemnestram an divum aliquem (Ag. 1481. sqq. 1505 sqq. 1530 sqq.) Scelera malaque in Pelopidarum domo quum poeta perspiciat naturali quadam colligatione conserta contextaque evenisse, id quod Herodotus superstitiosius repetit a numine divino usque ad quintum genus scelerum vindice, ipse confuse revocat ad justitiam divinam et causam naturalem, quae efficiant ut quaeque caedes novae caedis consecutionem in se habeat [1]). Nec non Erinnys, quam facinorum vindicem fingit, principiis divino et naturali concreta et mixta videtur (Choeph. 400, 650

1) Orestes quoque Clytaemnestrae fatum culpanti (Choeph. 910): *ἡ Μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία* apte respondet: *καὶ τόνδε τοίνυν Μοῖρ' ἐπόρσυνεν μόρον.*

sqq., 1073 sqq., Ag. 56 sqq.). Deos ubique potentissimos praedicat; humana omnia *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.*

Quare apud eum quoque abundant exempla hominum superborum, qui quum deos contemnerent nimisque suis viribus confiderent vel ad statum excelsiorem quam pro rerum humanarum fragilitate tenderent, pessime perierunt. Xerxis potestas frangitur quia Neptunum verberibus caedere (Pers. 745 sqq.) ausus est neque in Graecia deorum templis pepercit (ibid. 809 sqq.). Exercitus Persarum apud Plataeas devictus tacite monet (820):

*ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν.*

Capaneum, cum ipsum Jovem verbis audacissimis provocat, mox periturum esse intelligimus (Sept. 444 sq.) [1]).

*Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόπων ἄγαν*
*φρονημάτων ἔπεστιν εὔθυνος βαρύς.* (Pers. 827 sq.).

Verum aperte refellit poeta opinionem popularem ab Herodoto enuntiatam ipsam felicitatem prosperitatemque calamitates contrahere; justos enim moderatosque homines diis non odiosos esse [2]).

Dii ab eo improbos punire probis adesse dicuntur. Jupiter malis injuriam infert, bonis justa dat (Suppl. 403 sq.). Quamdiu ille regnabit lex erit eum qui fecerit scelesta etiam passurum esse [3]) (Ag. 1563); impius ille, qui dixit deos non curare sacrilegos (ibid. 369 sqq.).

Nec tamen ipsos deos ubique insontes producit. Plato vel arceri eum a scena jussit, quod deorum flagitia aperte exhiberet [4]). Non pio animo potentiam eorum veneratur, quaerere omittens num virtutem semper colant; verum vitia indignabundus indicat.

---

1) Amphiaraus contra ob pietatem metuendus habetur adversarius.

2) Ag. 750: *παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος*
*τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον*
*τεκνοῦσθαι μηδ' ἄπαιδα θνήσκειν,*
*ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει*
*βλαστάνειν ἀκόρεστον οἰζύν.*
*δίχα δ' ἄλλων μονόφρων εἰμί. τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον*
*μετὰ μὲν πλείονα] τίκτει, σφετέρᾳ δ' εἰκότα γέννᾳ.*
*οἴκων δ' ἄρ' εὐθυδίκων*
*καλλίπαις πότμος αἰεί.*

Cf. Pers. 772 de Cyri felicitate: *θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν ὡς εὔφρων ἔφυ.*

3) Cf. praeterea Suppl. 27 sq. 707 sqq. Ag. 461.

4) Resp. II. pg. 383a ubi hos vs. citat (fr. 281 apud D.)
*κἀγὼ τὸ Φοίβου θεῖον ἀψευδὲς στόμα*

Neque Erinnyes dubitant Jovem ridere praeclarum parricidii ultorem, qui videlicet ipse patrem suum in vincula conjecerit (Eumenid. 640 sqq.)! Nusquam tamen vehementius summum deum poeta insectatur quam in Prometheo, ubi eum ad imaginem crudelissimi tyranni [1]) redegit, ipsique Iapetionidae, qui ob beneficia in genus humanum collata durissimo afficitur supplicio, levem tantum culpam invitus prope tribuit. De hac fabula quidquam statuere lubricum est, siquidem interiit τὸ ἕξης δρᾶμα, Prometheus sc. λυόμενος, quo suspicor non Prometheum solum sed Jovis etiam aenigma solutum fuisse, quod lectoribus proposuit scriptor Jovem tam mirifice pravum fingens. Credo tamen poetam hoc quoque quod superest dramate proponere voluisse audaciam scelestam pereuntem quod summi numinis jussa non observaverit (vid. pg. proximam).

Aeschylus igitur partim summam justitiae curam diis assignabat partim sollicitabatur traditis eorum vitiis.

In plerisque Sophoclis tragoediis nulla apparet fati auctoritas, nisi quod variae personae pro rerum statu morumque suorum constantia (v. pg. 31) aliter agere non possunt ac agunt. In Philoctete vero Oedipisque duobus omnia fato fiunt. Verum praestat dixisse rerum eventum antea fuisse constitutum a superiore numine; fatum enim apud eum nusquam segregatum esse videtur a deorum imperio, quorum potestate humana omnia administrantur. Nemo magis commendavit σωφροσύνην, quae cupiditates coërceat, animumque ab omni nimio cohibeat; eamque Ulyssis imagine pulcherrime illustravit [2]). Neque quisquam

---

ἤλπιζον εἶναι, μαντικῇ βρύον τέχνῃ.
ὁ δ' αὐτὸς ὑμνῶν, αὐτὸς ἐν θοίνῃ παρών,
αὐτὸς τάδ' εἰπών, αὐτός ἐστιν ὁ κτανὼν
τὸν παῖδα τὸν ἐμόν.

et pg. 380a: (fr. 160 D.)

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

1) Quare in hac fabula rursus fati imperio subjectus est, cf. pg. 87.

2) In Aiace Ulysses ne Athena quidem jubente inimico devicto insultare vult sed eum potius miseratur; vid. vs. 121:

ἐποικτείρω δέ νιν
δύστηνον ἔμπας, καίπερ ὄντα δυσμενῆ,
ὁθούνεκ' ἄτῃ συγκατέζευκται κακῇ,

magis perosus est superbiam arrogantiamque, clariusve ostendit ei pereundum esse, qui modum naturae humanae positum excedat (Ai. 760 sq.):

ὅστις ἀνθρώπου φύσιν
βλαστὼν ἔπειτα μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ.

Hac superbia periit Aiax [1]), Creon cognatos suos omnes perdidit (in Antigone), Polynicem et Eteoclem mortem obituros esse apparet (in Oed. Col.), non prorsus injuria Oedipus ad ultimam miseriam redigi videtur eademque ipse casum sibi acerbiorem intolerabilioremque reddidit [2]).

Antigone quoque, ne nimis offenderet virgo innocentissima sua ipsius virtute interiens, superbior depicta est, quippe quae statim sororem timidam asperrime increpet, et postquam ipsa capta est eius amorem novamque moriendi fortitudinem crudeliter aspernetur, scilicet quod factum ipsum perficere recusavisset.

Nemo igitur ab omni parte perfectus vel etiam innocens calamitatibus obruitur. Quare homines divinam justitiam semper agnoscunt et admodum raro deos accusare in animum induceunt [3]); neque usquam pravitas eorum aut discordia in hominum conspectu ponitur. Sophocles enim haud dubie velut Pindarus (vid. pg. 87) censebat prava et ambigua in deorum

---

οὐδὲν τὸ τούτου μᾶλλον ἢ τοὐμὸν σκοπῶν.
ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
εἴδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν ἢ κούφην σκιάν.

1) Ne Aiacis superbia ex ipsius tragoediae argumento non satis appareat, narratur jam antea deorum auxilium in proeliis aspernatus esse. Mallem haec arrogantiae specimina ipse praesens nobis edidisset.

2) Nam culpam suam a Tiresia patefactam longe rejicit ipsumque vatem cum contumelia dimittit.

3) Philoctetes contendens a diis semper turpes et improbos servari, probos vero et justos ad Orcum mitti, subjicit (vs. 451):

ποῦ χρὴ τίθεσθαι ταῦτα, ποῦ δ' αἰνεῖν, ὅταν
τὰ θεῖ' ἐπαινῶν τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς;

Hyllus in fine Trachiniarum deos increpat, qui Herculis immanes cruciatus placide inspectent parentes:

τὰ δὲ νῦν ἑστῶτ' οἰκτρὰ μὲν ἡμῖν
αἰσχρὰ δ' ἐκείνοις. sc. diis.

Observa hunc finem (vid. v. Leeuwen comm. de Aiac. Soph. pg. 46) totumque Philoctetem a Sophocle ultima aetate compositos esse. Num fortasse hic quoque crescente impietate leviter tactus fuit? Possunt huc quoque revocari El. 825 et fr. (apud Dind.) 607, 678 vs. 14 sq., ubi dii dicuntur amori resistere non posse.

natura praetermittenda et celanda esse[1]); si enim ex omnibus literis Graecis eius fabulas solum legeremus, non suspicaremur immortales tot vitiis fuisse maculatos. Summam sanctitatem et justitiam iis ubique ascribit. Justos observant et injustos, quorum nemo unquam supplicium effugit[2]). Bis poeta commemorat summa praecepta moralia, quae inter omnes conveniunt, *νόμους* illos *ἀγράπτους* (vid. pg. 82); et quamquam non disertis verbis indicat eos a diis generi humano impositos esse, tamen ostendit eos cum numinis imperio arte cohaerere[3]).

---

# CAPUT III.

## RELIGIO POPULARIS APUD PHILOSOPHOS ET SOPHISTAS USQUE AD EURIPIDIS AETATEM.

Vidimus igitur divinitatis notionem apud Graecos potentiam tantum complecti, eos vero duce naturali virtutis informatione divis paulatim plurimas tribuisse virtutes, vitia tradita plerumque celasse, iisque in rebus humanis totam justitiae procurationem morumque censuram mandasse. Sed quantumvis emendati, perfecta sapientiae virtutisque exempla nondum videri poterant. Id Aeschylus quum perspiceret, indignabundus vitia eorum vituperavit. Nondum tamen a poetis negatum erat tam impuros deos esse. Euripides primus poetarum statuit deum non esse posse quin omni careat vitio virtutemque habeat perfectam.

Non tamen huius sententiae Euripides auctor potest dici. Phi-

---

1) Trach. 497 sqq. Veneris potentiam celebrans dicit: *καὶ τὰ μὲν θεῶν παρέβαν, καὶ ὅπως Κρονίδαν ἀπάτασεν οὐ λέγω, οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν, ἢ Ποσειδάωνα τινάκτορα γαίας.*

2) Longum est omnes afferre locos; vid. Trach. 135 sqq. Phil. 1036 sq. Oed. Col. 1106 sq. 1267 sq. Ai. 122 sqq. El. 175, 1382 sq.

3) Oed. R. 867 in aethere eos prognatos Olympumque solum eorum esse parentem dicit. Ai. 1343 vocat „deorum leges"; pariter Antig. 454, ubi tamen subjicit neminem novisse unde manaverint.

losophi jamdudum anthropomorphismum indignati religionem popularem impugnaverant, quorum primus erat Xenophanes [1]). Unum docuit esse deum, eumque maximum et mortalibus prorsus dissimilem [2]); eum enim non variis sensibus sed toto corpore simul omnia percipere [3]). Nullo jure homines fingere deos figura humana indutos vestibusque humanis amictos; boves et equos quoque, si cogitare et pingere possent, deos sibi similes ficturos esse [4]). Turpiter ergo poetas humanam naturam omniaque quae apud homines prava sint diis attribuisse [5]).

Eodem modo Heraclitus improbavit traditas deorum imagines, ideoque pro sua acerbitate Homerum Archilochumque verberandos et e certaminibus ejiciendos esse contendit [6]). Ipse summam legem substituisse videtur, quam *Δίκην* sive fatum sive *λόγον* sive Jovem vocabat.

Posteriores philosophi non data quidem opera impugnaverunt religionem, sed eorum placita ei prorsus repugnabant. Democritus *τὸ θεῖον* nihil aliud habere potuit quam naturam, quae omnia movet atque complectitur [7]). Vidimus supra (pg. 79) eum deorum popularium originem repetere a principiis natura-

---

1) Philolaus dixit deum omnia complecti omniumque rerum esse principium, quod verisimile est eum in Pythagorae didicisse disciplina. Hic praeterea ab Hieronymo (apud Diog. L. VIII. 1, 4) narratur contendisse se in Orco vidisse Homeri Hesiodique manes tormentis excruciari, quod prava de Olympiis rettulissent. Hac vero fabula, cuius fontes latent, quasi certo testimonio uti non possumus. Constat etiam Pythagoreos numquam populari religioni infestos fuisse verum Apollinem et in mysteriis alios quoque deos pie coluisse.

2) Apud Clem. Alex. Strom. V. 714 C:

*εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,*
*οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος οὔτε νόημα.*

3) Sext. Emp. IX. 44:

*οὗλος ὁρᾷ, οὗλος δὲ νοεῖ, οὗλος δέ τ' ἀκούει.*

4) ap. Clem. Alex. Strom. V. 601 D.

5) Sext. Emp. IX. 198:

*πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρος Ἡσίοδός τε*
*ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ,*
*κλέπτειν, μοιχεύειν καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.*

6) Diog. L. IX 1. 1. *τόν θ' Ὅμηρον ἔφασκεν ἄξιον ἐκ τῶν ἀγώνων ἐκβάλλεσθαι καὶ ῥαπίζεσθαι καὶ Ἀρχίλοχον ὁμοίως.*

7) Vid. Zeller I. pg. 836. Placuit ei tamen esse revera species quasdam hominibus similes in aëre, quas mortales sensibus percipientes injuria in deorum numero haberent, quum statura et robore tantum excellerent (Sext. Emp. Math. IX. 19. Zeller ibid.).

libus et moralibus. Anaxagoras de numine divino nullum dogma proposuisse videtur; posteriores affirmant eum Mentem deum appellasse [1]). Jurene an injuria parum referre videtur; omnibus certe in rebus *νοῦς* ei fuit dei instar.

Sophistae magis testati sunt se de diis nihil compertum habere neque igitur popularibus traditionibus credere posse, quam diversae naturae numen venerandum proposuerunt. Protagoras notissimo libri sui exordio affirmaverat se nihil de divis habere quod liqueat, utrum sint annon sint; nam obstare rei obscuritatem breveque vitae humanae spatium [2]). Prodicus explicans homines primos vires naturales quae iis usui essent pro diis habuisse non videtur eos esse credidisse. In iis vero recitationibus, quas ad populum habebant, vulgari sensu eorum nomina usurpasse videntur.

Plurimi igitur philosophi fabulis mythologicis fidem non habebant, sed diversis opinor de causis. Xenophanes et Heraclitus videntur praecipue indignati esse mores pravos naturamque imperfectam, quam poetae diis ascribebant; intelligebant eam ab omni parte perfectam esse debere; ideo religionem ut emendarent ultro impugnaverunt. Hos igitur ipsa pietas rectique scientia movit ut deos traditos esse negarent [3]). Posteriores vero, Democritum Anaxagoram Sophistas scientia naturalis et ratio potius monuerunt ne prodigiis fabellisque mythologicis, quae superstitio excogitavisset, fidem haberent.

---

1) Cicero, Sextus, Stobaeus, Themistius.

2) Apud Diog. L. IX. 51: *περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ' ὡς εἰσὶν οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν. πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου.* Corrigendum est: *οὐκ ἔχω εἰπεῖν*, tum ex usu linguae Graecae cum e Cic. de nat. D. I. 23, 63 vertentis: de divis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere.

3) Cf. Schillerus: Welche Religion ich bekenne? Keine von allen
Die du mir nennst. — Warum keine? Aus Religion.

## B. RELIGIO POPULARIS APUD EURIPIDEM.

# CAPUT IV.

### FUNDAMENTA EIUS OPINIONUM.

Binis igitur viis progressi sunt Graeci de rebus divinis meditantes. Ab altera parte intra ipsius religionis fines dii a poetis magis magisque ad perfecti numinis imaginem evehebantur; ab altera parte philosophi ab initio statuerant deum esse unum, potentia scientia virtute perfectum. Quae meditationes postquam aliquamdiu separatae velut fluvii gemelli juxta processerunt, tandem in unum confluxerunt Euripidem, poetam eundemque philosophum.

Noster enim utrorumque imbutus erat cogitationibus; sed cum philosophia et mythologia natura inter se repugnantes numquam ad idem consilium una tendere possent nisi prorsus mutatae conversae confusae, neque ad hoc opus perficiendum ingenio satis polleret Euripides, in eius quoque animo inter se perpetuo pugnabant alteraque alteri nocebat. Et quemadmodum in arte tragica in media via substitit, partim antiqua servavit partim nova adscivit, et ita opus condidit constantia carens, sic etiam in rebus divinis simul religionis fabulas antiquas philosophiaeque nova placita secutus, quum copulare non posset, diversis affectibus jactabatur, et a se ipse dissidens et discordans frustra consensum summamque veritatem quaesivit [1]).

Vix opus est monere, si »deum oportet esse probum" sive »nullus est deus quin omnibus vitiis careat", mythologiam funditus tolli; quod nisi concesseris sed quaedam tamen servare volueris, opus aedificabis quod omni fundamento careat, levissi-

1) Cf. Bouterwek, de phil. Eur. pg. 11: »sed quae vulgo credebantur respuens, ipse, quid statueret non inveniens, fieri non potuit quin sibimet ipse repugnaret, cum modo ut poetam decet, assentiri perperam creditis, modo res novas moliri videretur."

moque ictu corruat. Non tamen statim Euripides eam sententiam pronuntiavit. In capite secundo tractata quaestione de dramatum chronologia monui tres aetates posse distingui, primam, qua vix adhuc de divinis fabulis dubitaret, secundam, qua in dies iis fidem denegaret easque palam impugnaret, tertiam, qua religionem rationibus sollicitare desineret. Quem ordinem nunc quoque, quum in singula diligentius inquirendum est, servandum puto.

---

# CAPUT V.

## DE AETATE PRIMA.

In prioribus igitur tragoediis omnino fere cum tradita religione consentit. Variis locis fati celebrat invictam necessitatem. In Alcestide imprimis eius fit mentio. Admetus quum fato ad mortem esset destinatus, Apollo impetravit ut viveret si alius quispiam pro eo mortem obiret. Dii enim, ut apud Homerum et Herodotum vidimus [1]), fati decreta aliquatenus mutare poterant. Quum uxor Admeti Alcestis morti se offerret, Apollo huius salutem a Thanato frustra petivit. Quia autem fatum ante omnia mortem decernere credebatur, fati mortisque necessitas eadem fere esse videtur. Notissimo chori cantico (962—990) celebratur ἀνάγκη, solum numen cuius nullam aram adeamus, quod sacra nulla accipiat; idemque potentissimum, nam etiam Jupiter quidquid annuit cum eo perficit. Huius vinculis Admetum quoque teneri, nam numquam uxorem lacrimis ab inferis reducet. In fine tamen dramatis eam Hercules liberat, quod profecto pugnat cum illius numinis natura invicta. Sed cum Alcestis fabula vice dramatis satyrici functa sit, nihil habet offensionis quod poeta summa fingendi licentia omnia confundit. Sed eadem causa obstat quominus totam fati administrationem, qualis hoc in dramate diis

---

1) In narratione mortis Sarpedonis (vid. pg. 88 not.) et malorum Croesi (vid. pg. 88 not. 4).

opponitur, quasi certum Euripidis placitum accipiamus [1]). In quibusdam huius aetatis fragmentis Euripideis insuper *ἀνάγκη* una cum diis commemoratur [2]).

In omnibus huius temporis dramatis pia elucet deorum reverentia, compluresque leguntur sententiae eorum potentiam justitiamque testantes: nihil in iis injustum est, verum res humanae flagitiis turbatae sunt (Pel. fr. 609); omnia divi, etiamsi cunctantur, tamen tempore perficiunt (Philoct. fr. 797). In Medea (157, 1013 sq.) dii cum illa de Iasone poenas sumere creduntur [3]). Quod vero deorum justitia in his dramatis praedicatur, id leve potest videri, quoniam in omnibus fabulis eorum laudes leguntur; at non leve est quod in Alcestide nemo, quamvis moerore afflictus, quantulumcunque reprehendit superos qui feminam praestantissimam morte abripi sinant; neque leve est quod Medea non divinam administrationem improbat quae tales viros qualis est Iaso vivere patiatur [4]). Neque e Phoenice, cuius argumentum fere idem fuit quod Hippolyti, neque e tot aliis fabulis ulla refertur deorum vituperatio [5]); quae omnia ostendunt poetam de iis hac aetate nondum dubitasse, ut supra jam monuimus.

Ex ultima tantum tetralogia supersunt hi quinque senarii (fr. Phil. 793 apud Stob. ecl. II. 1. 2. 4):

*τί δῆτα θάκοις μαντικοῖς ἐνημένοι*
*σαφῶς διόμνυσθ' εἰδέναι τὰ δαιμόνων;*
*οὐ τῶνδε χειρώνακτες ἄνθρωποι λόγων·*
*ὅστις γὰρ αὐχεῖ θεῶν ἐπίστασθαι πέρι*
*οὐδέν τι μᾶλλον οἶδεν ἢ πείθειν λέγων,*

---

1) Quod Lübkerus fecisse videtur, z. Theol. u. Ethik d. Eur. (Schulschr. d. Grossherz. Friedr. Franz gymn. 1863), quem miror pg. 27 sq. contendere fati auctoritatem praecipue auctore Euripide apud veteres invaluisse, quum antea nulla paene fuisset. Cf. contra Spenglerum, Theolog. Eur. trg. pg. 12 et 13 (Progr. d. Kathol. Gymn. Köln 1862—1863) et Hassium, Jahrbuch des Paedagogiums z. Kloster u. l. Frauen in Magdeburg, Neue Forts. Heft 23 pg. 16.

2) Dict. fr. 340, v. 5: *σκαιόν τι δὴ τὸ χρῆμα γίγνεσθαι φιλεῖ,*
*θεῶν ἀνάγκας ὅστις ἰᾶσθαι θέλει.*
Teleph. fr. 724: *σὺ δ' εἶκ' ἀνάγκῃ καὶ θεοῖσι μὴ μάχου.*

3) Cf. praeterea Alc. 219, Med. 492 sq.

4) Herc. fur. 655—671 et El. 367 sqq. poeta queritur quod non e facie et figura protinus certa conjectura de hominum animo capi possit.

5) Telephus manifesto ob oeconomiam tantum ab Aristophane irrisus est; nihil enim impie dictum ex eo rettulit impiorum objurgator.

quibus incerta et prope absurda sane vocatur divinatio [1]). Potest fieri ut hoc indicio sit poetam paulatim jam vergere in eas dubitationes, quales innumerabiles in secunda aetate jamjam recensuri sumus.

---

# CAPUT VI.

## DE AETATE SECUNDA.

### § 1. *Dii vituperati.*

In iis fabulis quas secundum complectitur temporis spatium Necessitas quoque aliquando commemoratur verbis; in rerum tamen cursu eius vis raro cernitur; et quum plerumque sors tantum significetur sive illa vis quam homines non effugere possint, non apparet, utrum fati cuiusdam imperium an divinum aliquod numen hic intelligatur. Credo poetam in re obscuriore temere eas voces communes usurpasse [2]).

Animum potius attendamus ad rationem qua depingitur ipsorum deorum imperium; idque primum in Hippolyti coronati expositione diligentius examinemus.

In prologo Venus queritur Hippolytum, Thesei ex Antiopa filium, cultum suum negligentem ab amore et matrimonio prorsus abstinere solamque Dianam virginem venerari; id se indig-

---

1) In Medea, postquam Iasonis perfidia exposita est, eiusque uxor significavit se terribili ratione ulturam esse injuriam sibi illatam, chorus haec canit (v. 410 sqq.):

*ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαὶ,*
*καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.*
*ἀνδράσι μὲν δόλιαι βουλαὶ, θεῶν δ'*
*οὐκέτι πίστις ἄραρε.*

Lübkerus (pg. 40) perperam vertit „selbst die Treue der Götter besteht nicht mehr." Ultimi versus hoc modo interpretandi sunt: viris vel constant consilia perfida; non amplius vero iis constat fides deorum (i. e. ut diis confidant eosque venerentur).

2) Heracl. 608 fortunae vicissitudines diis et *μοίρᾳ* conjunctim attribuuntur. Herc. fur. 282 commemorantur *ἀναγκαῖος τρόπος* et 311 *τὸ χρεών*. Hec. 1295, Or. 488, Hel. 514 *ἀνάγκη* invicta vocatur. Hel. 1660 et El. 1301 Dioscuri testantur se sororem servare non potuisse cum prohiberentur a diis et fato. Etenim Dioscuri erant minores dii subjecti imperio superiorum.

natam eum perdituram esse per novercae Phaedrae amorem insanum. Innocentis Phaedrae exitium inevitabile minus moratur dummodo sibi castus juvenis poenas luat. Omnia igitur ad Veneris nutum procedunt. Postquam nutrix Phaedrae furorem privigno prodiit infelix regina mortem sibi consciscit relictis tamen tabellis quibus Hippolytum accusaverat adulterii a se petiti. Quo falso crimine motus quum Theseus a patre Neptuno poenas in filium irrogavit, juvenis huius opera miseris cruciatur tormentis. Antequam moriatur, Diana patrona innocentiam eius Theseo aperit, addens se eum servare non potuisse; legem enim inter superos vigere, quae vetet alterum deum alterius studiis occurrere. Postquam juvenis cum patre in gratiam rediit, spiritum reddit.

Huic argumento subest illud quod frequenter jam deprehendimus Graecae sapientiae principium: homo naturae suae fines ne egrediatur. Quod praeceptum aureum quum apud reliquos poetas plerumque comprobatum vidimus poenis eorum qui imperio nimia complecti studuissent, aut sapientia sua arrogantius confisi essent, aut propter superbiam cuiquam cedere noluissent, in hac tragoedia pulcherrime illustratur exemplo juvenis, qui vitam amoris expertam agere ausus communi generis humani lege superiorem se putabat.

Venus convenientissime eius legis partes tueri videtur et tamen hoc ipsum effecit ut tam turpe et tam infirmum hac in tragoedia divinum exhibeatur imperium. Nam crudelis dea pingenda erat, quippe amabilis castique juvenis exitium parans innocentis feminae furore et morte indecora; nihil igitur nisi vitia humana ostendebat: honoris invidiam, saevitiam, crudelitatem. Poeta hanc turpem deae imaginem contemplatus, quam ipse e religione populari recte adumbraverat, eius pravitatem vehementer indignari coepit quoniam jam obscure ei obversabatur opinio deos oportere probos esse; tum haec opinio illa indignatione mutuo invalescebat et confirmabatur; tam pravi enim di ferri posse non videbantur. Sequebatur igitur ut in poetae opere omnes, quibus Phaedra et Hippolytus cordi essent, Venerem detestarentur verbaque impia in eam conjicerent. Etiam Dianam Hippolyti patronam e machina veritatem aperientem necesse erat acerbe increpare sororis suae feritatem. Enuntiat ergo Phaedram incitatam stimulis deae sibi infestissimae privignum amasse (1301 sqq.). Theseum severiter

quidem increpat quod neglecta omni criminis confirmatione protinus diras poenas in filium imprecatus esset, sed addit eum veniam tamen impetrare posse; Venerem enim morem sibi gerentem omnia ita ordinavisse (1421 sqq.):

ἀνθρώποισι δὲ
θεῶν διδόντων εἰκὸς ἐξαμαρτάνειν.

Hippolyto autem ait (1309):

τὸ δ' εὐγενές σε τῶν φρενῶν ἀπώλεσεν,

quod sentiens ipse juvenis moribundus, qui jam antea questus erat se deseri a diis quorum jusjurandum summa cum religione servavisset (1060 sq.), exclamat (1363): »O Jupiter videsne haec? ille ego, qui austerus et pius omnes castimonia supero, in manifestam mortem vado sub terram; frustra deorum cultui studui." In hoc luctu tantopere omnes Veneris crudelitatem indignantur ut nemo Hippolytum superbiae amorisque arroganter spreti admoneat, et ne ipse quidem ullam culpam agnoscere videatur [1]). Quid fiet imperio divino sic exposito?

Nec materia haec omnia tulit; soli tractandi rationi imputanda sunt. Si Hippolytus nobis ostenderetur castus, sed propter ipsam castitatem superbior et elatior aliquanto quam nunc, supplicio videretur dignior. Si Diana abesset et alio quodam modo Hippolyti innocentia patefieret [2]), non appareret illius imbecillitas in servandis amicis. Sed ante omnia Venus non debebat prodire in scenam. Vel sic tamen manifestum fieri poterat eam poenae esse auctorem; dura nihilominus fuisset dea, cuius cultum nemini negligere impune liceret, sed dea tamen et veneranda; nunc vero degeneravit in mulierem improbam et ferocem. Si igitur res ita esset exposita ut et dramatis personae et spectatores intelligerent magis quam a deabus ipsis certiores fierent Veneris cultum neglectum omnium malorum causam exstitisse, neutris criminibus impiis locus esset relictus.

Sophocles profecto Veneris partes omissurus erat; fides et reverentia deorum, cuius etiam subtilius quam acutissimi ingenii esse solet judicium, eum cohibebant quominus deum aliquem in

---

1) Solus chorus Veneris potentiam sine ira celebrat (vs. 1269 sqq.), sed et sine Hippolyti reprehensione.

2) Rectius apud Senecam, quem Sophoclis Phaedram imitatum esse suspicatur Valck., Phaedra ipsa viva adhuc post Hippolytum mortuum culpam suam profitetur.

conspectum hominum produceret eo ipso tempore quo nihil aliud faceret nisi saevas poenas moliretur, et viam ei indicassent sine dubio, qua eum ostenderet auctorem nec tamen detestabilem [1]).

Quare igitur non idem fecit Euripides? Quod dubitationes jam obortae ipsam eam materiem, quae ei vitanda erat, non commendabant solum sed vel obtrudebant eius menti. Nam in rebus divinis hominum studia vulgo hoc modo separantur ut alteri quae mente non capiant praetermittere et vitare soleant, ea omnino intelligentiae vim et notionem fugere censentes, alteri vero etiamsi hoc non negent, tamen ipsis quaestionibus et difficultatibus ita stimulentur ut non se contineant quin etiam atque etiam omnia cogitatione inquirant ac pervestigent. Quorum in numero quum esset Euripides, quia sentiebat perniciosis illis animi perturbationibus, quas dii consulto hominibus injicere crederentur, difficultatem inesse, hac ipsa de causa huiusmodi aggrediebatur argumenta *παρακεκινδυνευμένα*. Dum ergo omnia explicare studebat non poterat non confugere ad rationes et argumenta nescio unde arcessita, et molestiam vel augentia. Hinc Veneri profitendum fuit se Phaedrae innocentis mortem nihil curare; hinc probrosum exstitit odium inter Dianam et Venerem, Homericis prope diis indignum [2]). Utque ratio redderetur quare Diana Hippolytum non servavisset, finxit pactum, quod alterum deum alterius studiis obsistere vetaret.

Nec mirandum est nutricem Phaedrae suadere ut amori indulgeat, et huic consilio speciem justitiae praetendere, qua omnis culpa in Venerem conferatur (433—481). Nec miramur in hac rerum confusione Phaedram noctu meditantem:

*θνητῶν ᾗ διέφθαρται βίος* (376),

neque chorum testantem (1104 sqq.):

---

1) Vehementer doleo quod Sophoclis Phaedra interiit. Si eam revera Seneca imitatus est, Phaedrae magis quam Hippolyti cruciatus ei argumento fuere, quod et titulus indicat. Eius tamen quam volo rationis Trachiniae exemplum quoddam praebent. Venus calamitosissimi amoris Herculi auctor fuisse intelligitur (cf. v. 441, 497 sqq.), unde tamen nemo crimina sumit.

2) Vid. ultionis puerilis indicium in v. 1420 sqq., ubi Diana de Venere:

*ἐγὼ γὰρ αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς*
*ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυρῇ βροτῶν*
*τόξοις ἀφύκτοις τοῖσδε τιμωρήσομαι.*

*ἦ μέγα μοι τὰ θεῶν μελεδήμαθ' ὅταν φρένας ἔλθῃ,*
*λύπας παραιρεῖ· ξύνεσιν δέ τιν' ἐλπίδι κεύθων*
*λείπομαι ἔν τε τύχαις θνατῶν καὶ ἐν ἔργμασι λεύσσων.*

Huiusmodi igitur materiem tractando nihil poeta consecutus est nisi ut deos ostenderet aliquanto etiam improbiores quam vulgo esse credebantur, homines contra innocentes, — ita ut pro solutione quam quaereret etiam obscuriora inveniret aenigmata, et ipse ergo multo magis quam antea indignaretur deorum naturam traditam.

Copiosius de hoc dramate disserui quoniam inter ea, quae certo tempori assignari possunt, primum est quod deorum vituperationes exhibeat. Quas exinde in reliquis dramatis saepius deprehensuri sumus, nam res ipsa docet eum qui semel viam illam declivem et lubricam ingressus sit, non facile redire aut subsistere posse.

Nulla autem fabula graviorem religionis confusionem ostendit quam Hercules furens, haud dubie post Hippolytum docta (cf. pg. 11 sq.). Herculis absentis uxor liberique cum vitrico Amphitryone in eo erant ut ab hoste Lyco occiderentur nisi Hercules reversus obtruncato Lyco eos servasset. Sed mox ipse rabie Junonis instinctu correptus inscius uxorem liberosque necat. Postquam ad mentem rediit suaque perspexit scelera, a Theseo coercetur quominus mortem sibi consciscat, et amice Athenas abducitur.

Ipso statim fabulae initio Amphitryo Herculis salutem reditumque desperans Jovem probris compellat (211 sq.): »Lycum potius a s e vinciri oportere, si Jupiter justo erga se esset animo"; mox exclamat (339): »o Jupiter, frustra te habui tori socium, frustra te mei filii genitorem appellabamus; a m a r e t u v i d e b a r i s, n o n a m a b a s: e g o m o r t a l i s t e m a g n u m d e u m v i r t u t e s u p e r o; e g o e n i m n o n d e s t i t u i H e r c u l i s l i b e r o s. T u l e c t u m q u i d e m c l a m c o n s c e n d e r e a l i e n a q u e v o l u p t a t e f r u i s c i e b a s, p r o p i n q u o s v e r o t u o s s e r v a r e n e s c i s". Herculis reditus haec quidem crimina falsa esse evincit, sed tamen impietatis gravissimum est indicium in rebus adversis talia effutire. Tum finis fabulae crimina confirmare videtur; et postquam Hercules intellexit Junonem dementiae suae auctorem fuisse acerbe eam increpat (1303): »Nunc exsultet inclyta Jovis uxor Olympi solum pulsans: perfecit

enim consilium, quod molita erat, primo Graeciae viro funditus exstirpato: „τοιαύτῃ θεῷ
τίς ἂν προσεύχοιθ'; ἣ γυναικὸς οὕνεκα,
λέκτρων φθονοῦσα Ζηνί, τοὺς εὐεργέτας
Ἑλλάδος ἀπώλεσ' οὐδὲν ὄντας αἰτίους".

Quae Theseus non refellit, sed iratum placaturus moniturusque ne parricidiis suis nimis affligatur, placide exponit deos ipsos omnibus scelerum generibus maculatos esse, — nisi falsa sint poetarum carmina, — et tamen adhuc Olympum habitare, flagitiaque sua sustinuisse. [1]) Herculem ergo, quippe mortalem, profecto non indignari debere τὰς τύχας, siquidem et dii tulerint. Haec oratio, ad leniendam casus acerbitatem comparata, indignationem nostram auget deos exhibens aequo animo peccantes! Neque ei Hercules fidem adjungit; testatur (1340 sqq.) se non credere deos amoribus illicitis indulgere, se invicem vincire, alterum alteri jussa dare,

»δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεός,
οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι".

Sententia igitur illa, quae in poetae animo latens in Hippolyto nihil amplius effecerat nisi ut una dea improba vituperaretur (cf. pg. 100 sq.), nunc perspicua ei facta ad universos deos palam transfertur, nempe peccare alienum esse a natura divina, deum verum nullius rei egere. At his verbis Hercules id esse negat quod ipse per totam vitam expertus est, et quo totum nititur fabulae argumentum!

Hac in fabula materies quodammodo in culpa est. Herculis rabies tragoedia apte illustrari non poterat nisi ipsius aliqua culpa adjecta, velut si sua virtute et robore nimis confisus nulli errori se obnoxium credidisset (ut Oedipus Sophocleus); nunc vero prorsus innocens perit Junonis odio novercali. Nemo negabit praeclaras esse sententias illas ab Euripide enuntiatas, naturamque deorum ab illo significari multo puriorem quam traditam, verum ita censenti ab antiquo genere tragico abstinendum fuerat, quod ei tota mythologia e turpibus fabellis conflata esse debuit videri.

Etiam Iphigenia in Tauris in cognomini fabula (380 sqq.)

---

1) „ἠνέσχοντό θ' ἡμαρτηκότες".

Dianam reprehendens, quae quum caede pollutos ab aris suis arceat, ipsa delectetur sacris humanis, protinus addit se tamen non credere talem deam esse neque coenam Tantaleam reapse evenisse, verum homines sua flagitia in deos contulisse [1]); nullum enim deorum malum esse.

E tragoedia Bellerophonte Stobaeus (Flor. 100,4) rettulit quatuor senarios (fr. 294 v. 4), quibus mortalium morbi sive calamitates (*νόσοι*) partim *αὐθαίρετοι* esse dicuntur partim divinitus immissi; et praeterea deos si turpe quidquam in se admittant non esse deos, quae sententia confirmatur iis quae in fabulis superstitibus legimus.

Verum ex eadem tragoedia supersunt trimetri quindecim (fr. 288) apud Just. Mart. (I. pg. 130), quibus dii esse prorsus negantur:

*Φησίν τις εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ θεούς;*
*οὐκ εἰσὶν, οὐκ εἴσ' εἴ τις ἀνθρώπων θέλει*
*μὴ τῷ παλαιῷ μῶρος ὢν χρῆσθαι λόγῳ.*

Cuius rei testimonium datur hoc quod, ut utar verbis Ennii, »non bene bonis sit male malis" [2]). Cum tamen talis sententia non nisi hoc uno loco legatur difficillimum est dijudicare utrum poetae animo conveniat necne. Nam siqua dramatis persona stimulante ira audaciora verba fundat semel, parvi sunt momenti. Si recte video, poeta non improbabilem censuit illam sententiam in homine praesertim calamitatibus oppresso, quamvis ipse toto pectore ei assentiri non posset.

In plerisque huius aetatis fabulis, ubicunque argumenta copiam dabant, leguntur deorum vituperationes. Euripides enim imprimis ad partes turpiores mythologiae animum attendens perpetuo eas civibus monstrabat, quasi rogans annon hoc testimonio tota religio vulgaris adulterina esset censenda, an *θεοὶ* illi amplius *νόμισμα* esse possent. In Andromacha nuntius (v. 1161

---

1) Cf. Xenophanis placita pg. 94 relata.

2) vs. 5: *φήμ' ἐγὼ τυραννίδα*
*κτείνειν τε πλείστους, χρημάτων τ' ἀποστερεῖν,*
*ὅρκους τε παραβαίνοντας ἐκπορθεῖν πόλεις·*
*καὶ ταῦτα δρῶντες μᾶλλόν εἰσ' εὐδαίμονες*
*τῶν εὐσεβούντων ἡσυχῇ καθ' ἡμέραν.*
*πόλεις τε μικρὰς οἶδα τιμώσας θεοὺς,*
*αἳ μειζόνων κλύουσι δυσσεβεστέρων*
*λόγχης ἀριθμῷ πλείονος κρατούμεναι.*

sqq.) vehementer indignatur quod Apollo, qui universis scilicet hominibus omnis juris sit arbiter, veteris irae memor velut homo improbus Neoptolemum in ipsa peccati expiatione occiderit. Orestes in Iphig. Taur. (570 sqq.) sapientes illos deos avibus nihil veraciores esse dicit, magnamque esse confusionem in rebus divinis humanisque. In Electra (971 sq.) Orestes sororque intelligunt Apollinem sibi scelus imperasse, neque quemquam sapientem esse posse cum ille stultus sit; ipsi Dioscuri, qui profecto scire possunt quid prosit quid non, cum ultra quam se deceat progredi nolint, testantur tamen Apollinem quamvis sapientem non sapienter vaticinatum esse [1]). Chorus in Troad. (1097 sqq.) rogat an Zeus nihil curet Troiam deletam. Orestes in cognomini fabula (285 sqq.) Apollini objicit quod se instigatum ad actionem scelestissimam verbis consolatus esset non re.

Etiam fabula Ion insignia huius rei exempla exhibet. Creusa antequam filium vivere comperit, Apollinem, a quo vitiata fuerat, reprehendit quod eum non servaverit (384 sqq.). Quo audito Ion quasi ludimagister discipulum [2]) deum monet ne iterum faciat (436 sqq.): »quoniam dominus es virtutem cole [3]); namque si quis mortalium improbus est, in eum etiam dii animadvertunt; quomodo fas esse potest vos, qui leges humano generi imposueritis, ipsos eas violare. Quodsi..... hominibus poenas detis stupri, tu et Neptunus et Jupiter templa vestra exhauriatis, furta pecunia redimentes. Voluptates enim male praeponitis prudentiae. Neque homines si deorum vitia imitantur mali sunt vocandi, sed ipsi potius scelerum hi auctores." Notandum est illud »ἐπεὶ κρατεῖς ἀρετὰς δίωκε." Supra enim vidimus in religione Graeca deis propter ipsam potestatem licuisse contemnere virtutem; secundum Euripidem vero naturae divinae proprium est virtus. At sententiae illae philosophicae a tragoediae ratione abhorrent; quapropter lenis haec Ionis reprehensio, ad commovendam animi conscientiam comparata, me judice maximam vim habet in demonstrando animo poetae a religione populari alie-

---

1) vs. 1245: Φοῖβός τε Φοῖβος, ἀλλ' ἄναξ γάρ ἐστ' ἐμός, σιγῶ· σοφὸς δ' ὢν οὐκ ἔχρησέ σοι σοφά.

2) νουθετητέος δέ μοι Φοῖβος, mox: μὴ σύγε.

3) „ἀλλ' ἐπεὶ κρατεῖς ἀρετὰς δίωκε."

nissimo, et multo minus est tolerabilis quam acerba illa convicia cum ira et incitatione in deos jacta, quorum nulla acriorem habent σαρκασμὸν quam quae in hac fabula Creusa ad Apollinem queritur (902):

οἴμοι μοι· καὶ νῦν ἔρρει
πτανοῖς ἁρπασθεὶς θοίνα παῖς
σὸς καὶ ἐμὸς τλάμων,
σὺ δὲ κιθάρᾳ κλάζεις
παιᾶνας μέλπων.

Longum est cuncta huiusmodi impietatis exempla enumerare; insigniora autem iam recensui [1]); nunc igitur potius videamus locos quibus tragicus deorum laudes praedicavit.

## § 2. *Dii laudati.*

Dii omnino justos amant, oderunt injustos; utrosque enim observant (Herc. f. 772); ὁ θεὸς injustitiam justitia vincendam curat (Ion. 1117 sq.). Δίκη una cum diis justitiam tueri dicitur (El. 771) aliquando Jovis filia vocata (Androm. fr. 150). Ubi mali poenas dederunt omnes cernunt voluntatem divinam (Herc. f. 757. Suppl. 731). In Hecuba (852) Agamemnon Polymestorem supplicio affici vult θεῶν καὶ τοῦ δικαίου εἵνεκα. Sero saepe Jupiter miseros et innocentes curis levat, sed levat tamen (Heracl. 869 sq. Ion. 1614 sq.) [2]). In eadem oratione qua Io deos vituperat hoc ait (442):

πῶς οὖν δίκαιον τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτῶν
γράψαντας αὐτοὺς ἀνομίαν ὀφλισκάνειν;

Leges igitur ethicae praeceptaque moralia toti humano generi imposita, quae Sophocles, quamvis magnam cum diis habere conjunctionem ostenderet, tamen testatus esset neminem novisse unde originem ducerent (v. pg. 93 sq.), hoc loco ab Euripide disertis verbis diis ascribuntur, quemadmodum a Socrate factum esse apud Xenophontem legimus (Memor. IV. 19 sq.). Neque

---

1) Qui plura voluerit inspiciat Hecub. 488 sqq., 958 sqq. Troad. 469 sq. Or. 955 sq. Ion. 952 sq., 960, 1312 sq. El. 1302. Herc. f. 1127. Iph. Taur. 36 sq., 711 sqq. Cycl. 354 sq., 606 sq. Aug. fr. 268, Phrix. fr. 829, fr. inc. 892, 893, 925.

2) Cf. praeterea Palam. fr. 588, Phrix. fr. 832, fr. inc. 848, 940.

hoc mirandum est Euripidem, qui sanctitatem naturae divinae propriam censeret, a *τῷ θεῷ* illa repetere; sed quod a diis popularibus, id profecto admirationem movere potest.

Eandem rem fortasse spectat Hippolytus (in cogn. fab. vs. 98) ubi ait: *εἴπερ γε θνητοὶ θεῶν νόμοισι χρώμεθα.* [1])

Plurimis locis etiam potentia deorum celebratur. Nemo iis invitis felix est vel infelix (Heracl. 608 sq.). Si deos socios habeas profecto vinces (Suppl. 594 sqq.) neque amicis opus erit. Omnium rerum habent arbitrium (Suppl. 605 sqq.). Ea tantum facimus quae Jupiter vult, a quo toti pendemus. Bona, quae diis invitis conquisivimus, non proficient (Ion. 378 sq.); impius ille, qui eos vigere neget (Herc. f. 757 sqq.) [2]).

Neque igitur miramur pium eorum cultum saepissime commendari [3]), omnesque qui in periculis versentur sedulo eorum auxilium invocare. [4])

In complurium fabularum fine dii res desperatas restituunt. In Iph. T. apparet Apollinem, a quo se decipi Orestes crederet,

---

1) Hecuba in cogn. fabula Agamemnoni dicit (798 sqq.):

*ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως·*
*ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι χὡ κείνων κρατῶν*
*νόμος· νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα,*
*καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένοι·*
*ὃς ἐς σ' ἀνελθὼν εἰ διαφθαρήσεται,*
*καὶ μὴ δίκην δώσουσιν οἵτινες ξένους*
*κτείνουσιν ἢ θεῶν ἱρὰ τολμῶσιν φέρειν,*
*οὐκ ἔστιν οὐδὲν τῶν ἐν ἀνθρώποις ἴσον.*

His ergo versibus commemoratur quidam *νόμος* diis superior. Nec non multi qui de his rebus scripserunt hanc legem proferunt, cui scilicet diis parendum sit (Nägelsbach Nachhom. Theol. pg. 449). Ego tamen huic soli loco non multum tribuendum puto, cum praesertim haud dubie corruptus sit; saltem non expedio istos versus; nam „lex, qua deos esse censemus" prorsus alia est ac lex diis superior, ita ut haec explicatio in ipsis versibus nulla sit; non enim credo ad *νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα* suppleri posse: *ζῆν ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένους.* Nauckius delet v. 800 sq.; nec tamen sic perspicuum consequimur sensum nisi pro *κρατῶν* in v. 799 restituatur aliquod vocabulum quod *νόμον* significet, id quod mihi plurimum arridet.

2) Cf. praeterea Erechth. fr. 354, Melan. fr. 493, 494, Phrix. fr. 832. fr. inc. 942, 981, 1074.

3) Suppl. 301 sq. Hipp. 88, 107. Heracl. 902 sqq., Herc. fur. 608 sq., Ion. 557, 1619 sq., El. 890 sq., Iph. Taur. 1475 sq.

4) Hecub. 98 sq., Hel. 1094 sqq. 1441 sq., Hipp. 1111 sq., Iph. T. 1398 sqq., El. 196 sqq.

res ita ordinasse ut cum sorore salvus in patriam rediret. Idem Orestem in cognomini dramate servat et in Ionis fine filium matri reddit:

ἐς τέλος γὰρ οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσιν ἀξίων,
οἱ κακοὶ δ', ὥσπερ πεφύκασ' οὔποτ' εὖ πράξειαν ἄν.

Duae autem huius quoque aetatis fabulae, Andromacha et Helena (praeter has enim Alcestis, Medea, Bacchae) notis versibus terminantur:

πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον ηὗρε θεός.
τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.[1])

§ 3. *Quomodo discrepantia explicanda sit.*

Expositis deorum vituperationibus atque laudibus quaerendum est qua ductus ratione, τί παθὼν poeta ea omnia enuntiaverit tam discrepantia et pugnantia, ut singulis sententiis etiam ex iisdem fabulis prorsus contrariae opponi possint.

An explicatio petenda est e personarum scenicarum diversitate, ita ut altera utra pars tantum vere poetae animum expresserit? Haec vero jam eo praeciditur quod omnis generis personae proferunt sententias pias et impias, nempe probi et improbi, viri feminaeque, nobiles humilesque. Solus chorus, quamquam parum reverenter saepe de diis loquitur (cf. Herc. f. 655 sqq. Androm. 1030 sq.), tamen ad impias vituperationes vix umquam progreditur; hoc tamen inde repetendum esse videtur quod chori cantica in tragoediis proprie ad deorum laudes instituta erant; tum chorus opiniones proferre solebat, quales civibus simplicibus ascribi possent.

Non potest dubitari Euripidem simulac deum oportere sanctum esse persuasum sibi habuit, non amplius deos mythologicos pie venerari potuisse, verum an essent frequenter dubitasse, sed destitutus illa ingenii vi quae novae religioni vel doctrinae excogitandae sufficiat, velut navis quae deperdito gubernaculo

---

1) Cf. etiam fr. Alcmen. 101.

fluctibus et procellis in contrarias partes misere jactatur [1]), huc illuc fluctuabat diversissimis animi perturbationibus obnoxius [2]). Oportet autem poetam, ut omnem artificem, materiem sibi subjectam inque eam imperium velut dictatorium habere, ita ut ad suum arbitrium eam fingere et conformare possit. At vereor ne noster hac auctoritate caruerit et in ipsum potius, cum tam incertus penderet animi, materies imperium habuerit. Nam quum pergeret eam ex antiquis mythis haurire, omnino expositus erat affectibus variis quos movebant fabulae mythologicae. Ubi igitur dii crudeles aut impuros se praestabant non poterat quin probris eos obrueret, dum testaretur tales deos nullos esse. At ubi mythus justos exhibebat deos nullique subjectos, nihil dubitabat quin eos pie celebraret et laudaret. Ita factum est ut in huius temporis fabulis non solum in diversis tragoediis sed etiam in iisdem ut Herc. f. Ion. Orest. Iph. T. El. tam pugnantia legamus. Solum Supplicum drama nulla impietate flagrat.

Hanc impotentem inconstantiam quis probet? Quis non doleat poetae defuisse animi vim, ut tota re penitus pervestigata alterumutrum constanter sequeretur? Nec tamen idcirco statuendum est eum mente impium, lingua pium, aperte mentitum esse et simulasse. Qui omnium maxime deos sanctos habendos esse censuit, is profecto in singulis exemplis justitiae etiam deos populares sincere laudare potuit. Tum solum Herculis fur. argumentum tantopere eius opinionibus repugnat ut corruat sententia in ipsam fabulam imprudenter inserta. Neque veterum quemquam illam inconstantiam quasi mendacia vel simulationem notasse comperimus; Aristophanes saltem tale crimen non attingit. Accusat eum ἀσεβείας, quod an dii essent dubitare videretur; cuiusmodi sententias si prudenter omisisset et multo igitur magis simulasset quam nunc quibusdam videtur, procul dubio impunis evasisset.

Sed illius discrepantiae mihi aliquando paullo diversa causa fuisse

---

1) Optime Mommsen pg. 907: „Derjenige Unglaube welcher der verzweifelnde Glaube ist, redet aus diesem Dichter mit daemonischer Gewalt".

2) Nostra quoque aetate, quae magna ex parte similis est aevo Euripideo, multi homines inveniuntur, qui incerti et vagi modo Deum esse credunt mundi moderatorem, modo vero eum esse negantes omnia temere aut naturali necessitate procedere putant.

videtur a communi multorum hominum animi affectione repetenda. Vidimus in Ione, Oreste, Iph. Taur. Apollini acerbe objici quod homines deceperit et destituerit (pg. 106 sq.), ettamen ea crimina falsa esse apparere exitu, quum diligenter omnia procurata restituat (v. pg. 108 sq.). Quae quum primo legerem cogitare coepi poetam imitari voluisse impietatem multorum hominum divino numine diffidentium, ipsum vero inter paucos pia reverentia deos colere. Mox vero errorem agnovi, nam ex Herculis fur. exitu ipsum gravissimum deorum vituperatorem esse apparet. Sed quid ita crimina humana in nonnullis dramatis ipse convincit perspicue monstrata deorum sanctitate?

Multi qui cogitatione et ratione a vulgari religione recedere coeperunt imis pectoris penetralibus tamen percipiunt vocem monitricem, quasi aliquod δαιμόνιον obscurum a rebus novis revocantem. Non facile discindunt omne vinculum omnemque societatem cum iis rebus quas patres laudaverunt pieque conservarunt et tuiti sunt; neque rationem praevolantem toto animo protinus sequi audent. Quamvis frequentia facientes itinera in regionem novam et perplacentem, domicilium tamen suum in patria despecta servant, neque cum tota familia in terram nondum satis exploratam migrare audent, veriti ne, si spes fefellerit, reditus in patriam praecisus sit. In Euripide quoque animus pugnabat cum ratione; itaque eum credo libenter eam materiem arripuisse, quae copiam daret non sine probabilitate deos criminandi [1]), attamen in fine eos justos esse declarandi? [2]). Dicas eum hoc modo dubitationes suas proposuisse quasi tentaturum civium animos experturumque an sectatores in suam traheret partem, cum nondum omne spretae religionis periculum in se solum recipere auderet.

---

1) In Ione Apollo, quamvis alterius culpae, infantis destituti, insons, stuprum tamen admiserat; neque id reprehensione carere ipse intelligere videtur, quum non ipse in hominum conspectum prodire ausus Minervam vicariam mittat (vid. v. 1557).

2) Cf. Troad. 469:

ὦ θεοί· κακοὺς μὲν ἀνακαλῶ τοὺς ξυμμάχους,
ὅμως δ' ἔχει τι σχῆμα κικλήσκειν θεοὺς,
ὅταν τις ἡμῶν δυστυχῆ λάβῃ τύχην.

Haud dubie his verbis similis cogitatio subest, quam non melius interpretari possum quam his vocibus Belgicis: „men kan nooit weten" cet.

## § 4. *Dii scelerum auctores.*

Quum igitur probi in scena Euripidea Olympiorum infirmitatem levitatemque liberrime reprehendere soleant, improbi eam callide in suum usum convertunt. Humanis enim flagitiis coelitum sive vim sive exemplum et auctoritatem praetendunt. Nam quis diis resistere possit? Et si ne illi quidem voluptates vincant sed iis indulgeant omni vitae sanctitate neglecta, quomodo id infirmum genus humanum possit assequi? In Hippolyto (433—481) nutrix Phaedram monet ut amori illicito indulgeat; nam insani esse Veneri resistere voluisse; neque id Jovem potuisse vel reliquos deos; eos ne conatos quidem esse sed aequo animo se vinci passos tranquille adhuc in coelo habitare,

*»οὐ γὰρ ἄλλο πλὴν ὕβρις*
*τάδ' ἐστὶ, κρείσσω δαιμόνων εἶναι θέλειν".*

Pg. 104 vidimus Theseum iisdem fere argumentis Herculi persuadere conari ne caede liberorum nimis animo angatur. Helena in Troad. (941 sqq.) testatur Paridem Spartam venisse cum potentissima dea socia: »i et ab illa poenas sume quo Jove superior fias, qui omnes deos sibi subjectos habet, illius vero ipse servus est". Eurystheus in Heraclidarum fine saevitiae suae culpam in solam Junonem confert (990). In Andromacha Menelaus Peleo respondet Helenam non ultro sed immortalium voluntate »laborasse".

His quoque excusationibus subest opinio illa jam saepius commemorata deos oportere puros esse; idque optime illustratur ratione qua boni eas accipiunt. Turpes esse probe sentiunt, sed non omnes habent quod apte respondeant. In Hippolyto Phaedra, quamvis amore cruciata, nutrici respondet turpissimum esse eius consilium indulgendi voluptati, eius argumenta vero refellere nequit; dicit tantum *εὖ λέγεις γὰρ, αἰσχρὰ δέ.* Etenim poeta quum Hippolytum scriberet singula quidem peccata deorum improbabat, nec tamen negabat, quoniam naturae divinae sanctitas nondum clare et perspicue eius menti apparebat, ut supra monui (pg. 101 et 104). Verum postquam illud poetae distincte persuasum est: deos nullos esse nisi sanctos, videmus Herculem Thesei orationem refellere

posse praefracte n e g a n d o vitia deorum ab eo enumerata (Herc. fur. 1341—1346. vid. pg. 104), itemque Hecubam in Troadibus (911 sqq.) Helenae excusationi occurrere affirmando falsa esse quae illa de Venere narret deque reliquis deabus [1]). Hoc modo corruere illas excusationes necesse est; sed et hoc solo. Nam siquis putat deos populares summam legem ethicam constituere ipsosque ad vitam congruentem tendere, nec tamen fabularum mythologicarum veritatem negat, n u l l o r a t i o n i s a r g u m e n t o refellere potest conclusionem: ergo neque infirmum genus humanum virtutem potest assequi, neque peccandi culpa tenetur [2]).

Qui syllogismus, ut reliqui eiusdem generis, frequenter cum irrisione *λίαν καλὸς λόγος* sive simpliciter *καλὸς λόγος* vocatus, quod adjutor et suasor vitiorum tamen convelli non posset, multis quoque aliis negotia facessivit. Apud ipsum Aristophanem acerrimum oppugnatorem huius mythologiae usus *δίκαιος λόγος*, postquam imprudentius contendit *τὴν δίκην* apud deos esse, nihil habet quod respondeat *τῷ ἀδίκῳ λόγῳ* monenti scelerum humanorum auctoritatem in Jovem conferendam esse [3]). Quique posthac de moribus vel de educatione puerorum commentantur iisdem

---

1) 981: *μάμαθεῖς ποίει θεὰς*
*τὸ σὸν κακὸν κοσμοῦσα, μὴ οὐ πείσῃς σοφούς.*
*Κύπριν δ' ἔλεξας, ταῦτα γὰρ γέλως πολὺς,*
*ἐλθεῖν ἐμῷ ξὺν παιδὶ Μενέλεω δόμους.*
*οὐκ ἂν μένουσ' ἂν ἥσυχός γ' ἐν οὐρανῷ*
*αὐταῖς Ἀμύκλαις σ' ἤγαγεν πρὸς Ἴλιον;*
*ἦν οὑμὸς υἱὸς κάλλος εὐπρεπέστατος,*
*ὁ σὸς δ' ἰδών νιν νοῦς ἐποιήθη Κύπρις.*
Eurysthei excusationi (in fine Heraclid.) pg. 112 relatae nihil omnino respondetur. Menelai verba ex Andromacha ibidem citata ipsa jam responsum constituebant ad antegressam accusationem Helenae.

2) Quemadmodum aptissime ab Ione expressum est, vid. pg. 106.

3) Nub. 1079:
*μοιχὸς γὰρ ἢν τύχῃς ἁλοὺς τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτὸν,*
*ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας· εἶτ' ἐς τὸν Δί' ἐπανενεγκεῖν,*
*κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι καὶ γυναικῶν·*
*καίτοι σὺ θνητὸς ὢν θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο;*
Adversarius respondet joco obscoeno:
*τί δ' ἢν ῥαφανιδωθῇ πιθόμενός σοι τέφρᾳ τε τιλθῇ;*
*ἕξει τίνα γνώμην λέγειν τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι;*
quo ut significetur apud homines tamen scelera illa supplicio suo non carere, excusationis argumentum nullo modo refutatur. Cf. 902:

difficultatibus implicantur. Plutarchus frustra nititur et cruciatur ut viam inveniat qua dii populares servari possint, nec tamen juventus eorum levitatem imitari sustineat[1]). Plato intelligit utrumque conjungi non posse, itaque poetas omnes a civitate sua relegat. Socrates quoque Platonicus Euthyphroni (in cogn. dial. p. 6) contendenti recte se patrem accusavisse, quod etiam Jupiter Saturno non pepercisset, respondet se illis fabulis de Jove et Saturno nullam fidem adjungere. Neque praeter hoc quod diceret habebat nisi aut Euthyphronem laudare vellet, aut concedere deos nullam morum sanctitatem observare.

## § 5. *De Divinatione.*

Vidimus ab Euripide modo summam potestatem justitiamque in deos populares conferri, modo eorum infirmitatem levitatemque ubi apparent vehementer improbari. Divinationem quoque diversissime adhibet. Non raro argumentum nititur oraculo quodam, cuius veritas eventu confirmatur. In Helena Theonoë Menelaum praesentem esse protinus animadvertit; Io Pythiae responso Creusae redditur; Iphigeniae Taur. somnium verum evadit. In Electra Orestes redit secundum Apollinis effatum[2]); in Heraclidis Demophon superstitiose omnia auguria observat, quibus cum Macaria voluntaria morte obtemperavit, profligatur Argivorum exercitus. Qui temere alios periculo exposuerunt vituperantur quod vatum responsa neglexerint. Hoc nomine in Supplicibus Theseus Adrasto bellum Thebaicum, in Hippolyto Diana Theseo filii exsecrationem exprobrat.

---

'ΑΔ. *οὐδὲ γὰρ εἶναι πάνυ φημὶ δίκην.*
ΔΙ. *οὐκ εἶναι φής;* 'ΑΔ. *φέρε γάρ, ποῦ 'στιν;*
ΔΙ. *παρὰ τοῖσι θεοῖς.*
'ΑΔ. *πῶς δῆτα δίκης οὔσης ὁ Ζεὺς*
*οὐκ ἀπόλωλεν τὸν πατέρ' αὑτοῦ*
*δήσας;* ΔΙ. *αἰβοῖ, τουτὶ καὶ δὴ*
*χωρεῖ τὸ κακόν; δότε μοι λεκάνην.*

Hoc quoque loco *δίκαιος λόγος* manifesto *ἀπορεῖ*. Aristophanes has ratiocinationes, quibus haud dubie locos Euripideos respicit, proferre non debuisset, nisi deiiceret. Vereor enim ne eas hoc modo civibus potius probaverit.

1) In l.: quomodo adulescens poetas audire debeat.

2) Polyidi drama perditum, cuius aetas ignoratur, totum videtur versatum esse in insigni arte, qua notus ille vates Glaucum puerum investigatum et in vitam revocatum patri reddidit (cf. Hyg. fab. 136, Apollod. III, 3, 1).

Non tamen multum omnibus his rebus tribuendum puto, quoniam rarissime divinationis veritas disertis verbis demonstratur et laudatur. Tum audiamus et alteram partem. Etiam e tetralogia Medeae proxime ante Hippolytum docta exemplum contemtae divinationis rettulimus (vid. pg. 98). In eadem Helena tragoedia, in qua Theonoae vis divina tam luculenter apparet, simul exponitur totius artis vanitas, quippe quae numquam indicaverit Helenam non in Troia sed in Aegypto morari; et hoc multo maiore vi et pondere notatur quam quoties oracula rata fiunt. Audiamus ipsum nuntium (744—757): »Sed perspicio quam vana et mendax sit vatum ars. Nihil ergo sanum erat earum rerum quas flamma vel avium cantus praedicebat; etenim stultum est putasse aves hominibus prodesse. Calchas enim amicos perire videns tacuit neque indicavit eos pro nebula mortem oppetere [1]); nec Helenus id fecit, sed frustra urbs vastata est. Dicas quia deus indicari noluerit [2]); quid ergo in portenta inquirimus? Oportet nos diis immolantes fausta flagitare, divinationem vero relinquere; frustra haec vitae illecebra inventa est; nemo piger sola sacrorum observatione dives est factus. Ratio bonumque consilium optimus est vates." [3]) Non leve est quod chorus quoque hanc sententiam approbat his verbis: »ego de vatibus omnino seni consentio; siquis deos propitios sibi habet, videtur optimam divinationem habere." Duae praeterea sententiae notandae esse videntur. Electra (in cogn. fab. 399 sq.) dicit:

Λοξίου γὰρ ἔμπεδοι
χρησμοὶ, βροτῶν δὲ μαντικὴν χαίρειν ἐῶ.

Ion autem ostendit (in cogn. fab. 365—367, 369—377) Apollinem numquam patefacturum esse quod ipsi dedecori sit, neque homines sciscitari debere quod ille celatum velit.

---

1) „οὐδ' ἐσήμηνε στρατῷ
νεφέλης ὕπερ θνήσκοντας εἰσορῶν φίλους."

Ergo agnoscitur divinationis principium; nempe conceditur vatem, quippe videntem amicos pro nebula mori, veritatis non ignarum fuisse: atqui id nuntius manifesto negatum voluit. Quare praestat explicatio, quam in contextu posui; si tamen verba ita verti nequeunt, interrogationis signum post v. 751 ponendum videtur, ita ut tres illi versus ficto alicui interlocutori tribuantur.

2) Hunc vs., quem delet Cobetus, servari malim.

3) Cf. fr. inc. 963:

μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Quid Euripides proprie de divinatione senserit, e diversis his testimoniis concludere difficillimum est; fortasse modo hoc modo illud. Suspicor tamen e nuntii illius oratione veram sententiam omnium optime apparere. Qui totam mythologiam tam parvi faciebat, is profecto divinationi nullam prope vim et veritatem poterat assignare; siquidem etiam in Iliade, quo saeculo nemo profecto de diis dubitabat, Hector testatur se avium volatum nihil curare, nam hoc solum augurium sequendum esse: *ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης* (XII 238—243).

### § 6. *De natura deorum.*

Consentaneum erat Euripidem, postquam vitia in deos cadere negavit, mox omnes fabulas rejicere quae indolem humanam iis ascriberent, etiamsi non prava commemorarent; dixerat enim: *δεῖται γὰρ ὁ θεός, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεός, οὐδενός.* Hecuba igitur (Troad. 971 sqq.) ridet narrationem de trium dearum Junonis Minervae Veneris contentione [1]). Tum studia naturalia haud dubie monebant poetam ne fidem haberet fabulis improbabilibus. Unde Helena ipsa dubitat se ex ovo natam esse (cogn. fab. v. 21). Electra (cogn. fab. v. 737 sq.) non vult credere solem in via retroversum esse ne cenam Thyestae videret. Fragmento (508) e Melanippe servato ridetur opinio vitia humana in tabulis inscribi et a Jove perlustrata puniri, Δίκη vero prope nobis instare dicitur, si diligenter intueri velimus (cf. etiam fr. 257 ex Archel.).

His vero omnibus negatis non amplius ei constare poterat cuius tandem naturae essent dii, — an omnino essent, qui traderentur; quod frequenter paucis verbis indicavit. Sic Hercules ait (Herc. f. 1263):

*Ζεὺς δ', ὅστις ὁ Ζεύς, πολέμιόν μ' ἐγείνατο*
*Ἥρᾳ* [2]).

Pariter legitur in Oreste (418):

*δουλεύομεν θεοῖς, ὅ τι ποτ' εἰσὶν οἱ θεοί.*

---

1) Nihil eius argumentis est ineptius et insulsius; „Junonem jam summi dei uxorem esse, Minervam autem castitatem servare; neutri igitur amorem formae opus esse".

2) Veritus autem ne laedat Amphitryonem (vitricum), nisi Jovi paternum nomen prorsus deneget, addit:

*σὺ μέντοι μηδὲν ἀχθεσθῇς, γέρον·*
*πατέρα γὰρ ἀντὶ Ζηνὸς ἡγοῦμαί σ' ἐγώ.*

Beatus ille qui duos simul habeat patres, alterum quasi suffectum, ne altero deficiente orbus sit!

Servatur e Melanippe a Luciano (Jov. Trag. 41) et ab aliis multis (vid. Dindorf ad fr. 483):

Ζεὺς, ὅστις ὁ Ζεὺς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ.

Tam audax impietas a populo non tolerabatur, a quo poeta apud Plutarchum (Mor. p. 756 C) narratur coactus fuisse ut hunc versum mutaret, indeque fecisse:

Ζεὺς, ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο. —

Verum in eiusmodi dubitationibus subsistere non poterat; itaque tentavit an e naturali quae sibi suppeteret scientia numen honestius magisque naturae congruens posset fingere. Complures sententiae in capite de Euripidis philosophia naturali a me tractatae (pg. 45—47) aethera affirmabant summum esse deum eumque Jovem igitur vocabant, cuius placiti originem idcirco quoque ab aliis philosophis repetere non necesse est, quod in ipsa religione tradita ab antiquissimis temporibus coelum fuerat Jovis provincia. Verum quoniam pleraeque illarum sententiarum ex incertis dramatis servatae sunt, ad hanc aetatem, in qua contemplanda occupati sumus, pro certo revocari non possunt. Unus tamen ex ea exstat locus, qui quum poetae animum de variis principiis dubitantem exprimat, monet ne in aethere tandem deprehensum putemus, qualem sibi summum deum cogitaverit. In Troadibus (884) Hecuba his verbis Jovem compellat:

ὦ γῆς ὄχημα κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,
ὅστις ποτ' εἶ σὺ, δυστόπαστος εἰδέναι
Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος εἴτε νοῦς βροτῶν,
προσηυξάμην σε· πάντα γὰρ δι' ἀψόφου
βαίνων κελεύθου κατὰ δίκην τὰ θνήτ' ἄγεις.

Quae verba si diligenter explicare velimus vereor ne magnis difficultatibus implicemur [1]); Euripides desperanti Hecubae temere profecto ambiguas illas voces tribuit, non ut ab aliquo philosophiae sectatore ponderarentur et explorarentur; quare examine potius abstineo, atque moneo tantum ne Bernhardio assentiamur audacius inde quaedam concludenti. Scripsit enim pg. 403: »Die Stellen des Dichters worin er die physiologischen Sätze seines

1) Quid enim est hoc nisi aether: o tu qui terram fers et ea rursus ferris (vid. pg. 46)? quid vero significat hoc: o aether, quisquis es, cognitu difficilis, (sive?) Zeus sive necessitas naturae sive mens hominum?

Lehrers vorträgt sammelte Valckenaer. Ihre Spitze liegt in der Apotheose der menschlichen Seele: τὸν νοῦν ἡμῶν ἑκάστου εἶναι θεόν, oder in der Identität des göttlichen und menschlichen Geistes, woher der missverstandene Ausspruch Tro. 886: Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος εἴτε νοῦς βροτῶν". At jure dubitaveris num νοῦς βροτῶν interpretandus sit: mens Anaxagorea, qui sensus profecto erui non potest nisi cogitatione inseratur οἷος; sc.: εἴτε νοῦς οἷος βροτῶν [1]). Bouterwek quoque observat (pg. 10): »nam mens totius mundi quomodo concinne mens mortalium appelletur?" Putat hic Euripidis animo obscure obversatam esse magistri sententiam, quam non satis perspexerit [2]). Verum etiamsi νοῦς βροτῶν possit significare mentem per totum mundum fusam, qualem sibi Anaxagoras finxit, tamen haec de natura deorum conjectura non velut fastigium disciplinae a praeceptore receptae habenda est, siquidem poeta eam dubitanti animo simul cum aliis tentavit, nec nisi uno hoc loco. Nam alter locus, quem Bernh. tangit, ex incerta trag. servatus a multis scriptoribus (vid. Dind. fr. 1007):

ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός,

ad mentem Anaxagoream non videtur referri posse. Hic enim mens humana non divina vel divinae mentis particula sed unicuique deus esse perspicue dicitur, quemadmodum Cicero annotavit [3]). Suspicor igitur potius hoc modo interpretandum esse: unicuique mentem esse velut deum, i. e. unumquemque mentem suam sequi velut deum", ut apud Plutarchum (Mor. pg. 999 E) Heraclitus dixisse narratur: ἦθος ἀνθρώπου δαίμων, et Menander: ὁ νοῦς γὰρ ἡμῖν θεός [4]). Haec igitur sententia non naturam deorum sed potius vim mentis humanae explicat.

Euripides ergo etiam in his conjecturis de natura deorum parum profecisse parumque sibi constitisse videtur [5]).

---

1) Scholia et alia multa et non male hoc offerunt: ὁ διήκων ἐπὶ πάντας νοῦς.

2) Cf. pg. 74 annot.

3) Tusc. I. 26, 65 „ergo animus, ut ego dico, divinus, ut Euripides audet dicere, deus est."

4) Aliquatenus comparari potest ipsius Eur. fr. (19) ex Aeolo servatum a Schol. Aristoph. ad Ran. 1475:

τί δ' αἰσχρὸν ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ,

ita tamen ut hoc significet: unumquemque mentem suam sine reprehensione sequi posse, illud vero: unumquemque mentem suam sequi solere.

5) Haud dubie tamen sententiis his paginis relatis et Pirithoö dramate spurio (vid. pg. 74 sq.) nititur Valckenaerius scribens (pg. 36 c): „Deorum, quales a Graecis

## § 7. *Theocrasia*, *Mystica*.

Verum non solum in interpretatione naturae divinae incertus est et vagus, sed etiam de ipsis diis heroibusque mythologicis varias saepe sequitur fabulas, iisque liberrime utitur. Quare apud eum praeter mythos mutatos (velut in Helena) frequentia quoque deprehendimus theocrasiae exempla. Pleraque dispersa sunt per ultimae aetatis fabulas vel fragmenta perditarum, quarum tempus ignoratur; sed quoniam in huius quoque aetatis dramatis pauca leguntur neque hac in re temporum distinctio magni momenti est, hoc loco omnia paucis absolvam. Proserpina in Ione fere quasi Selene celebratur [1]), in Phaethonte vero a Vesta vix diversa videtur [2]). Vestae nomen autem vidimus a nostro auctoribus »sapientibus" telluri datum esse (fr. 938 vid. pg. 56 sqq.), quae ipsa Bacch. 275 Ceres vocatur [3]). Ceres rursus quasi magna deorum mater celebratur Helenae chorico carmine [4]). Luna autem cum Proserpina confunditur et ut supra vidimus (pg. 66 sqq.)

---

vulgo colerentur, contemptor Euripides unicum agnovisse deum videtur *αὐτοφυῆ*· mentem puram, aeternam, atque adeo infinitam, nulliusque rei indigam .... materiae sua natura quiescenti et confusae mens ista divinum motum indidit atque ornatum, creatrix coeli et terrae", et posthac pg. 45: „etiam secundum Euripidem, praeter Opificem, *τὸν αὐτοφυῆ*, nihil ante conditum hoc universum fuit, nisi rudis indigestaque moles. Sectam congeriem in duo membra Deus redegit aedificator, coelum et terram; haec duo consideravit velut corpora genitalia, sive rerum postea creatarum principia, hac in re quoque praeceptorem secutus Anaxagoram." Nemo non videt Valck. Anaxagorea potius quam Euripidea narrare. „Quae dixi pleraque advocatis Euripideis non difficulter demonstrari possunt". Utinam fecisses!

1) V. 1048:

*Εἰνοδία θύγατερ Δάματρος, ἃ τῶν νυκτιπόλων ἐφόδων ἀνάσσεις*
*καὶ μεθαμερίων, ὅδωσον δυσθανάτων*
*κρατήρων πληρώματ', —*

2) Phaeth. fr. 781 v. 55:

*σὺ δ' ὦ πυρὸς δέσποινα, Δήμητρος κόρη,*
*Ἥφαιστέ τ' εἶτε πρευμενεῖς δόμοις ἐμοῖς.*

3) *Δημήτηρ θεὰ,*
*Γῆ δ' ἐστίν· ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει κάλει.*

4) V. 1301 sqq.:

*ὀρεία ποτὲ δρομάδι κώλῳ*
*μάτηρ θεῶν ἐσύθη*
. . . . . . . . . . . . . . . . .
*πόθῳ τᾶς ἀποιχομένας*
*ἀρρήτου κούρας.*

Phoen. 175 sq. solis vocatur filia. Sol ipse in Phaethonte Apollo esse dicitur [1], quem rursus Macrobius (Sat. I, 18, 16) ab Euripide cum Baccho confundi testatur, citans Licymnii versum (fr. 480):

δέσποτα φιλόδαφνε Βάκχε, Παιὰν
Ἄπολλον εὔλυρε [2]).

Haec autem theocrasia, qua varia numina confunduntur et velut in unum concrescunt, saeculo quinto vulgo recepta fuisse videtur. Etiam Aeschylus narratur ab Herodoto (II, 156) Dianam dixisse Cereris filiam; tum Lunam modo Latonae modo Solis filiam appellavit; et in eius Prometheo legitur (v. 209):

Θέμις
καὶ Γαῖα πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.

Haec consuetudo fortasse e mysteriis sive Eleusiniis sive Orphicis manavit, quod dicas confirmari quodammodo ipsius Euripidis testimonio, ubi ait Solem Apollinem vocari ab eo »ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων". Neque mihi improbabilis videtur Freretii conjectura censentis Aeschylum illud dogma de Dianae origine, cuius auctoritatem Herodotus ad Aegyptios refert, a mysteriis mutuatum esse. Orphica praesertim multa fuisse in coagmentandis et miscendis variis numinibus Lobeck passim ostendit [3]), citatque veterum testimonia quibus Orpheus dicitur et alios et Apollinem cum Sole et Cererem cum Rhea cet. confudisse. Suspicor ad Orphicum fontem etiam revocandum esse nobile hoc fragmentum (904) ex incerta tragoedia a Clem. Alex. (Strom. V. pg. 688) servatum:

σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν
πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴθ' Ἅιδης
ὀνομαζόμενος στέργεις· σὺ δέ μοι

---

1) Fr. 781 v. 11: ὦ καλλιφεγγὲς Ἥλι' ὥς μ' ἀπώλεσας
καὶ τόνδ'. Ἀπόλλω δ' ἐν βροτοῖς σ' ὀρθῶς καλεῖ
ὅστις τὰ σιγῶντ' ὀνόματ' οἶδε δαιμόνων,
in re luctuosa additamentum molestum et putidum.

2) Lobeck, Aglaoph. p. 80, vanam judicat argumentationem ab epitheto φιλόδαφνος petitam, cum Libero quoque laurus sacra esset; mihi vero Macrobii argumentatio non solo epitheto niti videtur; tum ratio, qua in hoc versu varia nomina cumulantur, indicat unum potius deum implorari quam diversos.

3) Pg. 155, 614. Cf. Nägelsbach Nachhom. Theologie, pg. 454: „Aber der Haupteinfluss der Orphischen Theologie auf die Eurip. Poesie dürfte in der von unserm Dichter adoptirten Theocrasie bestehn".

*θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας*
*δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν.*
*σὺ γὰρ ἔν τε θεοῖς τοῖς οὐρανίδαις*
*σκῆπτρον τὸ Διὸς μεταχειρίζων*
*χθονίων θ' Ἅιδῃ μετέχεις ἀρχῆς* [1]).

Unde si certi nihil effici potest, tamen elucet studium earum fabularum, quibus variae deorum personae ad unum numen revocantur, quod a theologia mystica profecto non alienum est [2]). Hanc non raro ab Euripide respici supra (pg. 23 sq.) nonnullis testimoniis demonstravi, quibus hoc loco addere libet quod inter paucos poetarum antiquorum Zagrei [3]) fabulam significavit in Cretensium dramate, in quo chorus Curetum, *Διὸς Ἰδαίου μυστῶν*, vitae Orphicae descriptionem canit a Porphyrio servatam (vid. Dind. fr. 475 *a*). Quare de tota fabula testatur Lobeck (pg. 623): »Integrum si superesset carmen, clare fortasse intelligeremus, illum scenicum philosophum non Anaxagorae solum sententias, sed mysticorum etiam qui tum dominati sunt decreta sublimia delibasse" [4]).

## § 8. *Conclusio. Rerum divinarum obscuritas.*

Ut paucis memoria repetam quae ex huius aetatis fabulis collegimus, statuendum est poetam circiter Ol. 87 descivisse a sim- 431—428
plicitate priscorum hominum, qui vera reverentia imbuti neque omnia intelligendi cupidi deos populares pie colebant. Observavimus quidem in sequentium quoque annorum fabulis multa pietatis

---

1) Preller ed. I, pg. 87 putat hoc cantico respici mythum Creticum de Jovis descensu ad inferos; canticum enim e Cretensibus excerptum videri, quod idem Valck. conjecerat. Pausanias II, 24, 4 narrat in acropoli Argis esse Jovis simulacrum ligneum, quod e Troia raptum dicitur, ornatum tribus oculis, quibus significari suspicatur Jovem non solum in coelo sed etiam in mari et in Orco regnare; Plutonem enim ab Homero vocari *Δία καταχθόνιον* et Aeschylum etiam maris deum Jovem dixisse (*ἐνάλιον*? vid. fr. 436 Aesch. apud Dind.).

2) Eodemne quoque revocandum est Aesch. Heliad. fr. 65 *a* (Dind.)?:

*Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός,*
*Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον.*

3) Zagreus in carminibus Orphicis est filius Proserpinae et Jovis, quorum conjugium comparari potest cum carmine allato, ubi Jupiter idem dicitur qui Pluto.

4) Reliqui loci theologiam mysticam spectantes quoniam magis ad vitae sanctimoniam pertinent, posthac tractabuntur.

indicia. Quid quod Supplicum drama nullas habet deorum reprehensiones. Hoc tamen non repugnat, videtur enim Euripides omnibus rebus facillime moveri; tam pauca de eius vita et de singulorum dramatum tempore nobis tradita sunt, ut certum judicium facere nequeamus; verum reputantibus quantam vim in animos nostros habere possint vel levissimae res sive ad mentem sive ad corpus pertinentes, mirum non potest videri, etiam in hoc annorum spatio Euripidi aliquid accidisse quod aequiorem aliquantisper ei redderet animum, deorumque imperium ei ita probaret ut a vituperationibus abstineret [1]).

Sed vereor ne breve tantum tempus hac quiete fructus sit.
408 Nam reliquae huius aetatis (Ol. 87,4—Ol. 93,1) fabulae passim ostendunt animum dubitationibus a se ipso dissidentem et discordantem; quae enim pietatis indicia notavimus inde manabant quod diis contentus esse poterat quoties justitiae et virtutis leges sequerentur neque humanas ostenderent infirmitates, et quod non satis habebat constantiae fiduciaeque ut novis rebus totum se daret. Quoniam igitur ex antiquis mythis materiem quaerere pergebat, iisque praesertim qui aliquod vitium deorum exhiberent, factum est ut indignatione abreptus in dramatum oratione cum argumentis saepissime pugnaret [2]).

Si autem rogatur ut tandem aliquid indicemus quod non modo admiserit modo reiecerit, vix quidquam invenire possum praeter

420 1) Pg. 12 expositum est Supplices plurimorum conjecturis Ol. 89. 4 ascribi; quibus si credendum est et Erechthei quoque fabulae piae idem annus convenit (vid. pg. 10), satis probabiliter videtur statui posse cessationem belli, quietem, securitatem restitutas poetae animi mutati causam fuisse.

2) Hartungus, Euripidis defensor et admirator acerrimus, negat ullam apud eum rerum divinarum discrepantiam esse. Contendit enim (Eur. restitutus I. pg. 95 sqq.) eum unum deum agnovisse naturalem, potentia justitiaque summum; deos autem populares habuisse quasi daemones, deos minores, summi numinis ministros, variorum commodorum inventores, simul auctores perturbationum animi et earum rerum omnium quae necopinato, forte, mire hominibus accidere videantur. Quae conjectura quamvis ingeniose elucubrata fuco tamen splendet potius quam ingenuo colore. Vellem Hartungus exemplis illustrasset illam rationem inter summum deum et deos populares. Quodsi poeta habuerit id systema constans, quid semper irascitur daemonibus illis, qui quum graves affectus moveant et ad scelera impellant proprium suum munus exsequantur? Nonne absurdum est virtutem in illis exspectare? Rursus si summi numinis sint ministri neque ergo illo invito mali quidquam moliri possint, nonne culpa eodem recidit, quo nunc? Hartungi error manifesto natus est e studio absolvendi poetam omni inconstantiae crimine.

illam sententiam unde orsi sumus: nullos vere esse deos nisi qui infirmitate vitiisque humanis careant. Procul dubio notio unius dei ei quoque obversata est, quoniam ubi nova tentat plerumque de Jove solo vel de *τῷ θεῷ* loquitur. Sed emendatam illam deorum naturam non modo non claris lineamentis in animo expressam habebat, sed etiam non magis quam deorum popularium pravitatem cum libidine iniquitate crudelitate sortis humanae conjungere et copulare poterat; ita ut ei hoc unum fere perpetuo persuasum fuisse videatur obscurissimum esse numen divinum neque eius naturam humana mente cognosci posse.

Numquam, me judice, personae scenicae planius ex animo poetae loquuntur quam ubi eam obscuritatem queruntur, intelligentiae humanae inopiam profitentur. Cuius rei exempla quaedam insignia apponam. Hipp. 1104 sqq.:

*ἦ μέγα μοι τὰ θεῶν μελεδήμαθ' ὅταν φρένας ἔλθῃ,*
*λύπας παραιρεῖ· ξύνεσιν δέ τιν' ἐλπίδι κεύθων*
*λείπομαι ἔν τε τύχαις θνατῶν καὶ ἐν ἔργμασι*
*λεύσσων.*

Herc. f. 62: *ὡς οὐδὲν ἀνθρώποισι τῶν θείων σαφές.*

In Troadibus (886) sic Jupiter compellatur:

*ὅστις ποτ' εἶ σὺ, δυστόπαστος εἰδέναι.*

Denique vide hoc (Hel. 1137):

*ὅ τι θεὸς ἢ μὴ θεὸς ἢ τὸ μέσον*
*τίς φησ' ἐρευνήσας βροτῶν*
*μακρότατον πέρας εὑρεῖν,*
*ὃς τὰ θεῶν ἐσορᾷ*
*δεῦρο καὶ αὖθις ἐκεῖσε*
*καὶ πάλιν ἀντιλόγοις*
*πηδῶντ' ἀνελπίστοις τύχαις;*

# CAPUT VII.

## DE AETATE TERTIA.

### § 1. *Dii non amplius vituperati.*

Restat ut investigemus num Euripides inde ex illo tempore semper fuerit eodem animo de rebus divinis. Quae quaestio ut decernatur, explorandae sunt tragoediae quas aetate provectior scripsit: Phoenissae Iphigenia Aulidensis Bacchae et fragmenta fabularum Hypsipylae Antiopae Chrysippi Oenomai Archelai Alcmeonis Corinthiaci.

Non opus est omnes partes separatim tractare ea diligentia qua antehac usi sumus; multa enim non mutata sunt. Fatum raro commemoratur [1]); calamitates quae evitari non possunt ascribuntur modo μοίρᾳ velut Fortunae (Phoen. 1595), modo voluntati deorum (Phoen. 379 Bacch. 1349). Haec omnia aequo animo ferenda sunt (Phoen. 1763 Oenom. fr. 576). Etiam de divinatione easdem fere legimus sententias. Iphigeniae Aulidensis argumentum nititur portento a Calchante explicato; item in Phoenissis Menoeceus Tiresiae monitis obsecutus se morti devovet, quo facto patriae victoriam consequitur. In Iphigenia vero vatum indoles vituperatur (520 sq.), ars exploditur (956 sqq.); quod licet fiat ab iis quibus datum oraculum durum erat, ita ut judicium illud ex ipso dolore natum esse videatur, tamen profecto a poetae mente non alienum erat; tum vates etiam ab Aristophane, pio deorum cultore, saepissime perstringuntur. In Phoenissis (954 sqq.) ipse Tiresias artem suam hominibus non convenire dicit, quippe qui si gravia vaticinentur odio sint, sin miseratione moti mentiantur, divinas res violent; »Apollini soli, qui neminem metuat, divinatio convenit''. Simillimam sententiam in Electra notavimus (vid. pg. 115), quare non dubito statuere poetam, ut aliquid divinationi tribuerit, tamen utique improbasse homines eam exercentes.

Neque ab his tragoediis absunt dubitationes de fabulis my-

---

1) Bacchus (Bacch. 515) intelligit quod non fieri decretum sit id numquam eventurum; tecte autem significare videtur rem quam ipse sciebat numquam futuram esse.

thologicis. Ex Antiopa superest fr. (209) apud Clem. Alex. (Strom. V. p. 716), in quo aliquis non vult credere Jovem specie humana indutum ut virum maleficum cum Antiopa concubuisse. In Bacchis (284—294) Tiresias mythum illum, quo Dionysus in Jovis femore aliquamdiu crevisse narratur, revocat ad verborum similitudinem; Jovem enim uxori iratae pro filio partem aetheris ὅμηρον dedisse, indeque ortam esse fabulam quasi Dionysus in Jovis μῆρον absconditus fuisset.

Sed animum attendamus ad imperium divinum. Multis locis eius justitia celebratur. Dii coelum habitantes res humanas observant (Bacch. 391 sq.); si Thebarum reges sapientes fuissent, felicitate florerent Dionyso fautore et socio (ibid. 1341 sqq.). Ubi mali pereunt agnoscitur numinis vis (Oenom. fr. 581). Eius potentia quoque celebratur; omnia diis facilia sunt (Phoen. 689); venit tarde sed tamen certo pede divina potentia, quae supplicio afficit imprudentes, eosque qui insana opinione corruptos deos non venerantur [1]). Itaque eos non contemnendos esse sed pie colendos variis exponitur locis [2]).

Verum hoc observandum est quod his dramatis prope absunt illae imperii divini accusationes, quales frequentissimas in prioribus fabulis deprehendimus. Si reputamus quantam copiam criminandi Dianam largiatur Iphigeniae puellae innocentissimae et generosissimae immolatio, si recordamur qualibus conviciis propter res leviores in Andromache, Oreste, Ione homines deos petere audeant (vid. pg. 105 sqq.), quid ipsa Iphigenia in Tauris de peregrinorum immolatione Dianae objiciat (vid. pg. 104 sq.), miramur in Iphig. Aulid. nihil eiusmodi dici nisi quod chorus lenibus ambiguisque verbis usus testatur (1403):

τὸ μὲν σὸν ὦ νεᾶνι γενναίως ἔχει,
τὸ τῆς τύχης δὲ καὶ τὸ τῆς θεοῦ νοσεῖ,

quibus audaciora multo et multo magis impia vel Hyllus Sophocleus profert in Trachiniis, ut supra vidimus (pg. 92 not. 3) [3]).

---

1) Phoen. 555—558, qui praeclaram continent sententiam, a multis viris doctis spurii habentur.

2) Bacch. 72 sqq., 199 sqq., 1150 sq., 1326 sq.

3) Quae Clytaemnestra Achilli dicit (1034):

εἰ δ' εἴσ' ἀληθῶς θεοί, δίκαιος ὢν ἀνὴρ
ἐσθλῶν κυρήσεις· εἰ δὲ μή, τί δεῖ πονεῖν;

temere potius pronuntiata videntur, et haudquaquam gravem dubitationem exprimunt.

In Phoenissis neque Oedipi calamitates neque Menoecei mors totumque Labdacidarum genus funditus eversum graviores querelas de summo numine provocare possunt nisi haec Antigonae ad patrem verba satis obscura (1726):

*τί τλᾷς; τί τλᾷς; οὐχ ὁρᾷ Δίκα κακοὺς,*
*οὐδ' ἀμείβεται βροτῶν ἀσυνεσίας.*

Fragmenta fabularum perditarum prorsus nullam huiusmodi sententiam continent [1]).

Operae pretium est diligentius contemplari Bacchas. Dionysus mulieres Thebanas furore impleverat, iratus quod matrem suam sorores adulterii accusavissent et se deum esse negavissent. Quod rex quoque Pentheus negans, mulieres bacchantes in vincula conjecit ipsumque Dionysum in carcerem inclusit. Quamquam feminae res portentosas perfecisse narrantur Dionysusque facile iis liberatis ipse e carcere aufugit Pentheumque monet ne adversus stimulos calces remittat, hic cedere non vult; quod Dionysus indignatus eum mente privat et efficit ut mulieres speculans ab ipsa matre Agave inscia dilaceretur. Quae caput eius afferens, triumphoque exsultans, postquam a patre Cadmo est monita miseram filii caedem agnoscit. Itaque fabula terminatur ingenti luctu et discessu Cadmi, qui a Dionyso solum vertere jubetur.

Argumentum cum Hippolyto comparari potest. Pariter enim in Bacchis deus quidam a viro contemtus et neglectus crudeliter contumeliam ulciscitur. Pentheus quoque velut Hippolytus est integer moribus neque injuria feminas bacchari vetat et in urbem redigit. Sed quum, postquam monstris et prodigiis manifesto eluxit Dionysum in deorum numero esse habendum, eum tamen nondum velit adorare verum insectari pergat, justo superbior factus gravi poena dignus videtur. Jam vero notemus discrimen. Hippolyti mors omnes ira incendit in deam crudelissimam ita ut juvenilis culpae prorsus obliviscantur. Penthei contra exitium ipsi cognati justum esse concedunt. Accedit quod in priore fabula ultionis instrumentum Phaedra innocens perit, in posteriore Agave ad ultimam miseriam detruditur cum ipsa quoque Dionysum eiusque matrem (sororem suam) contumelia affecisset. Inde factum est ut in Hippolyto dea ultrix ab

1) De fr. 256 vid. pg. sq.

hominibus diisque criminibus obruatur, in Bacchis vero Agave hoc tantum queratur: Dionysum nimis severa poena Penthei domum mulctasse, oportere enim deos non tantas iras exercere quantas homines [1]).

Nemo non potest in rebus similibus mentem mutatam esse concedere. Sed non solum in totius dramatis cursu, in singulis quoque sententiis eius rei testimonia habemus. Vide v. 325: »Ego non pugnabo cum diis tuae orationi obsecutus; nam misere furis"; v. 199: Cadm. »ego deos non contemno quum mortalis sim". Tir: »Ne argute disceptemus de diis; maiorum opiniones quas ab ipso temporis initio traditas accepimus nulla ratiocinatio pervertet, ne tunc quidem si acuta sententia summa sollertia excogitata sit"; v. 395: »Acumen illud non est prudentia, neque cogitationes illae altius spectantes quam conditioni mortalium conveniat; vita brevis; si quis hoc consilio grandia sectetur ne id quidem impetret quod in promptu est". V. 427: »praestat mentem integram servare a viris nimis sapientibus; quod vulgus simplex et humile probat et sequitur id recipiendum mihi videtur". V. 1150: »Temperantiam observare (σωφρονεῖν) deosque venerari id pulcherrimum duco et prudentissimum".

Unam denique libet addere sententiam ex Archelao servatam a Plutarcho (Quomodo adol. etc. pg. 20 D), quae ostendit non in deos culpam esse conferendam (fr. 256):

A. πόλλ', ὦ τέκνον, σφάλλουσιν ἀνθρώπους θεοί.
B. τὸ ῥᾷστον εἶπας, αἰτιάσασθαι θεούς.

His sententiis improbat Euripides id quod ipse per viginti fecit annos continuos, commendatque quod per idem tempus fere neglexit.

---

1) (1844):

Ag. Διόνυσε, λισσόμεσθά σ'· ἠδικήκαμεν.
Di. ὄψ' ἐμάθεθ' ἡμᾶς, ὅτε δ' ἐχρῆν οὐκ ᾔδετε.
Ag. ἐγνώκαμεν ταῦτ'· ἀλλ' ἐπεξέρχει λίαν.
Di. καὶ γὰρ πρὸς ὑμῶν θεὸς γεγὼς ὑβριζόμην.
Ag. ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς.

Bacchus satis jejune respondet:

πάλαι τάδε Ζεὺς οὑμὸς ἐπένευσεν πατήρ.

Dii accusati frequenter culpam in superius aliquod numen transferunt.

## § 2. *Conclusio. Deorum vituperatio labor inutilis.*

Quid? Euripidesne tandem relictis dubitationibus ad antiquam pietatem rediit et credulus denuo omnibus fabulis fidem adjunxit, deosque populares agnovit? Ita fere censuit Bernhardy [1]). Mihi vero illud judicium non rectum videtur. Euripides non toto animo denuo amplexus est antiquam fidem; fortasse non minus quam antea mythologicas rejiciebat fabulas, teste etymologica mythi Bacchici interpretatione [2]) (vid. pg. 125), sed perspicere coeperat has dubitationes philosophicas neque sibi neque reliquis civibus profuisse; sensit se nihilo esse sapientiorem quam antea, animi aequitatem se perdidisse, neque vero quidquam hoc pretio esse consecutum; nam, quemadmodum ipse monet (id quod p. priore posui Latine):

ἐπὶ τούτῳ δέ τις ἂν μεγάλα διώκων
τὰ παρόντ' οὐχὶ φέροι.

Eam religionem quam antea repudiaverat nunc ratione probans, illis sententiis et se ipsum et cives monere voluit ne amplius disceptationibus [3]) acutulis de rebus divinis indulgerent; ait enim:

---

1) Pg. 422: „Doch empfahl er zuletzt Resignation und Hingebung an Gott als unerschütterlichen Grund der sittlichen Dinge, während er die Freidenker und den Unglauben der damaligen Wissenschaft bekämpft. Eine reife Summe dieser inneren Erfahrungen hat er am Schluss seiner Laufbahn in den Bacchae niedergelegt". Nägelsbach (Nachhom. Th. pg. 466) suspicatur Bacchas esse palinodiam, quum et ultimum drama et in Macedonia scriptum esse videatur. At palinodiam potius antea Athenis scribere debuerat ut comicorum dicteria et civium reprehensiones refutaret. Nunc vero inutilis erat. Nemo enim credat eum hoc modo deos inferos placare voluisse (vide etiam quae in hac pg. et sq. in contextu posui). V. Duruy (Rev. d. d. Mondes le Oct. 1886 pg 611) Baccharum pietatem ascribit studio placendi aulae Macedonicae, quae scilicet nondum ad ratiocinationes philosophicas se inclinaret. Euripides enim, quippe sophista, „en changeant de lieu, changeait de doctrine". At qui factum est ut pii isti reges philosophum scenicum deorumque contemtorem ad se invitarent honoribusque cumularent? ut alios quoque Athenienses eiusdem farinae, velut Agathonem Timotheumque musicum? Tum Euripides, si tam facile opinionem consulto mutaret, profecto jamdudum, quum adhuc Athenis moraretur, pietatem simulasset cum videret quantopere philosophia sua civibus displiceret. Numquam animum inducam ut credam eum consulto tanta impudentia simulasse.

2) Quam Dindorf sane spuriam putat.

3) Cum his tamen illam mythi expositionem, dummodo genuina sit, pugnare dicas. Immo vero ostendit scepticam rationem tantopere in succum et sanguinem ei esse versam ut ne juxta haec quidem monita ea abstinere possit.

*τὸ σωφρονεῖν δὲ καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν*
*κάλλιστον οἶμαι τοῦτο καὶ σοφώτατον.* (vid. pg. 127).

Quod idem his quoque verbis expressit, quibus profecto non antiquae fidei civis usus fuisset (v. 890):

*οὐ*
*γὰρ κρεῖσσόν ποτε τῶν νόμων*
*γιγνώσκειν χρὴ καὶ μελετᾶν.*
*κοῦφα γὰρ δαπάνα νομίζειν*
*ἰσχὺν τόδ᾽ ἔχειν,*
*ὅ τι ποτ᾽ ἄρα τὸ δαιμόνιον,*
*τό τ᾽ ἐν χρόνῳ μακρῷ*
*νόμιμον ἀεὶ φύσει τε πεφυκός.*

Age, inquit, deos adoremur; utique praestat; levis est labor, illud vigere putare qualecunque numen divinum, legemque longo tempore consecratam et ipsa natura constitutam.

Ut non nemo nostra aetate, defessus longa et inutili contentione tandem intellexit praestare religionem vel imperfectam et vitiosam habere quam nullam.

# CAPUT VIII.

## OPINIONES QUORUNDAM AEQUALIUM.

Scire interest quid nobilissimis aequalium de iisdem rebus visum sit. Vidimus cives non raro offensos fuisse sententiis in scena Euripidea pronuntiatis, imprimisque Aristophanem eius impietatem notasse [1]). Qui tamen, si aliquanto diligentius de religione cogitasset, profecto in eodem haesisset scopulo. Quoniam enim perinde ac tragicus censuisse videtur propriam sedem justitiae apud deos esse (vid. pg. 120 sq.), popularis religio ei improbanda fuerat. Atqui

1) Passim in Ran. et Nub. Cf. Thesmoph. 451:
*τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς.*

eius joci de diis nullo modo quasi impietatis testimonia haberi possunt. Per jocum enim omnia iis objicere licebat, serio nihil; quamquam nos, diversa ratione instituti, mente vix capere possumus poetam, qui dicteria tam justa et tam impudentia personis suis praebeat, qualia in Avibus legamus [1]), ceteroquin vera pietate deos adorare potuisse.

Posteriores poetae saepe impudentissime suis voluptatibus praetexuerunt deorum vim, cultum, exemplum. [2])

Thucydides haud dubie religioni populari parum tribuebat. Causis naturalibus pleraque explicare studens leniter irridet Niciae superstitionem (VII. 50, 4) neque multum moratur oracula (II, 17, 2. 21, 3); deorum mythologicorum vix umquam mentionem facit et ab omni meditatione de eorum natura in scriptis saltem prudenter abstinens plerumque ad res humanas tantum animum convertit.

Socrates quoque et Plato numen justum nulliusque rei egens sibi proposuisse videntur; dicuntur tamen deos populares pie coluisse. Num igitur omnibus fabulis mythologicis fidem habuerunt? Hoc. fieri non potest. Socrates in Euthyphrone testatus sibi theogonica omnino commenticia videri, ita deorum auctoritatem infringit ut ab iis *τὸ ὅσιον* disci posse neget, quippe de qua re ipsi inter se dissentiant. Verum eo tendit disputatio ut rerum divinarum obscuritas demonstretur; nec non alibi plerumque indicavit Socrates quam sit inutile de illis rebus meditari et disceptare. Phaedri initio (c. IX) Socrates convenientissime allegoricas interpretationes mythorum non stultas judicat, sed »crassae sapientiae" (*ἀγροίκου σοφίας*) testimonia vocat. Nam qui semel initium fecerit, eum non cessare posse priusquam omnes mythos eodem modo interpretatus sit. Ad quam rem multo otio opus esse; absurdum autem esse illis rebus incumbere antequam te ipse bene noveris.

Summus uterque philosophus videtur mihi in rebus divinis

---

1) Pithetaerus avibus dicit (556): docebo vos etiam *τοῖσι θεοῖσιν ἀπειπεῖν διὰ τῆς χώρας τῆς ὑμετέρας ἐστυκόσι μὴ διαφοιτᾶν, ὥσπερ πρότερον μοιχεύσοντες τὰς Ἀλκμήνας κατέβαινον καὶ τὰς Ἀλόπας καὶ τὰς Σεμέλας.*

2) Exempla est videre apud v. L. Brouwer, Histoire cet. VI. pg. 276.

haudquaquam cum populo consensisse sed intellexisse disputationes de illis rebus parum proficere, sive quod religio popularis civibus multo accommodatior esset quam doctrina philosophica, sive quod cultus quo respublica confirmaretur nullo modo labefactandus esse videretur; quemadmodum Cicero, qui in philosophia rationem Platonicam secutus est, de divinatione disputans ait (II, 12, 28.): »haruspicinam ego reipublicae causa communisque religionis colendam censeo — sed soli sumus, licet verum exquirere sine invidia."

Euripides vero, quem vidimus media aetate a vulgaribus opinionibus recessisse, non prius intellexit eas non impugnandas esse quam viginti fere annos in inutili illo labore consumpserat.

---

# PARS IV.

## QUID EURIPIDES SENSERIT DE REBUS HUMANIS.

---

Euripidis de rebus divinis opinionem quantum licebat cognovimus; jam ad terram descendendum atque indagandum est, quid de rebus humanis senserit. De his omni aetate sibi fere constitisse vel potius iisdem modis disputasse videtur. Ego saltem nullam rationem reperire potui qua, ut in superiore quaestione, variae aetates distingui possent. Puto eum jam antequam primum de religione animum mutavisset ea tristitia eoque rerum novarum studio de rebus humanis cogitasse, quae posteriores aetatis impietati convenirent. Tum neque in ultima aetate ab iis opinionibus descivit. Nec mirum; nam quod religionem popularem impugnare desiit, id rationi et prudentiae potius ascribendum esse vidimus quam inde repetendum, quod cum rerum administratione divina revera in gratiam redierit.

Itaque temporis discrimina observare in hac quaestione opus esse non videtur. In quibusdam modo partibus ratio habenda erit quo tempore quaeque dicta sint. Tum dispositionis causa quantum potero annorum ordinem sequar. Materies aptissime distribuetur in quatuor capita, quorum primum poetae opiniones de vita universa, secundum de moribus et virtute, tertium de vita publica, quartum de vita domestica complectetur.

---

# CAPUT I.

## DE VITA UNIVERSA.

Reputatis iis quae de Euripidis indole dixi non exspectari potest eum vitam facilem, felicem, laetam judicasse. Omnium aetatum fabulae scatent sententiis de vitae malis, de rerum humanarum fragilitate et vanitate, de laboribus ad felicitatem consequendam necessariis.

Nulla bona sine labore acquiruntur (Teleph. fr. 719, Erechth. fr. 366, Cress. fr. 464). Neminem semper esse felicem inculcatur iis qui sortem suam queruntur (Alcest. 892 sqq.) vel qui felicitate superbiunt (Hec. 283). Sed etiam ii, qui diu calamitatibus oppressi sunt, meliora non desperant (Hel. 1448 sq.), nam neque infelicem semper esse quemquam [1]) (Herc. fur. 10, 101 sq.), ipsasque calamitates tempore defatigari. Vita mixta est gaudio et dolore (Antiop. fr. 196, 197); celeriter fortuna mutat, alta dejicit, humilia extollit: nihil certum est rerum humanarum [2]). Nemo novit sortem lugubrem; felix jam is dicendus est cui quotidie nihil mali accidit [3]); ante mortem tamen nemo felix praedicandus est [4]). Qui mortalis sit eum dolorem pati consentaneum est (Iph. Aul. 31, Protes. fr. 653, Thyest. fr. 396).

Hae sententiae sane nihil prope habent quod non cadat in plurimorum hominum cogitationem; sed quod tam saepe enuntiantur id indicare videtur vitae tristitiam et asperitatem nostro perpetuo obversatam esse. Tum ad acerbiora animum attendamus. Audivimus jam Phaedram longas per noctes quaerere *θνητῶν ᾗ διέφθαρται βίος* (Hipp. 376). In Medea (1224) nuntius narrata Creusae patrisque horribili nece haec subjicit: »res humanas non nunc primum umbrae similes judico; neque cum ulla dubitatione dicam eos, qui sapientes videantur inter homines et quaes-

---

1) Tamen in fr. inc. 892 diis objicitur quod eundem semper infelicem esse sinant.

2) Tro. 1203 sqq., Ino fr. 424., Bell. fr. 303, 306, Archel. fr. 264, Meleag. fr. 540, Oedip. fr. 553, Inc. 1058, 1059, 1060.

3) Iph. T. 475, Chrys. fr. 540, Hec. 627 sq., Bacch. 910.

4) Tro. 309 sq., Heracl. 865 sq., Androm. 100 sq.

tionum investigatores, omnium esse stultissimos. Nemo enim mortalium felix est; fieri sane potest ut affluentibus opibus alter altero sit fortunatior; numquam tamen felix erit." Nutrix Phaedrae furore afflictata queritur (Hipp. 190 sqq.) totam vitam humanam acerbam esse neque ullam esse requiem laborum; nos vero propter mortis ignorationem hanc lucem male amare. Idem exprimitur in Phoenicis fr. (813) servato a Stobaeo (121, 12), qui etiam (98, 34) duos senarios ex Antiope rettulit, quibus nemo finem malorum dicitur enumerare posse (fr. 210) [1]. Sed videamus fr. 452 e Cresphonte a multis veterum citatum et a Cicerone Latine versum:

*ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους*
*τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακὰ,*
*τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον*
*χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.*

et fr. inc. 900 servatum a Clem. Alex. (Strom. III 520):

*τὸ μὴ γενέσθαι κρεῖσσον ἢ φῦναι βροτοῖς κ. τ. λ* [2]).

Sunt haec profecto acerba de vita humana judicia; sed fortasse mihi obicias contraria quoque ab eo enuntiari. Alcestis enim ait (301): *ψυχῆς γὰρ οὐδέν ἐστι τιμιώτερον.*
quin etiam Iphigenia, postquam primum comperit sibi moriendum esse, exclamat (Iph. Aul. 1250):

*τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν,*
*τὰ νέρθε δ' οὐδέν· μαίνεται δ' ὃς εὔχεται*
*θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ καλῶς θανεῖν* [3]).

Quid? Haec nonne pugnant? nonne nova sunt inconstantiae Euripideae testimonia? Minime gentium. Nam tristes illae sententiae in tragoediis superstitibus, — unde de fragmentis idem licet conjicere — proferebantur ab hominibus aut alterius aut suis miseriis afflictis, quae quidem tantae essent ut morte graviores viderentur vel morte sola levari possent; hae vero laudes insignes praedicantur ab iis quibus tunc mors ipsa summum erat malum. Nihil pulchrius est et verius quam quod virgo

---

1) Cf. praeterea Aeol. fr. 35, Antiop. fr. 208, fr. inc. 908, 957.

2) De dicto nobilissimo: *τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν κ. τ. λ.* agam ubi de morte erit sermo Part. V.

3) Cf. Tro. 632: *οὐ ταὐτὸν, ὦ παῖ, τῷ βλέπειν τὸ κατθανεῖν·*
*τὸ μὲν γὰρ οὐδὲν, τῷ δ' ἔνεισιν ἐλπίδες.*

tenera, vitae aerumnas nondum experta, aliquamdiu velut caeco horrore mortis mota omnia huic luci postponit. Quare cavendum ne in his poetam sibi non constare putemus; nam diversis personis convenienter diversa tribuit.

Verum alia potius demiror. Theseus in Supplic. (196 sqq.) hanc habet orationem: »dixit quidam hominibus plura mala suppetere quam bona; ego vero contrariam opinionem tueor. Laudo eum deum qui ut vitam nobis a statu confuso ferarum distingueret, primum mentem nobis dedit, deinde linguam sententiarum indicem, tum victum segetibus quaesitum; segetibusque pluviam feracem; insuper tegmenta ad arcendum frigus, et navigationem, ut mercando ea acquirere possemus quibus patria careat. Quae ignota sunt neque plane et perspicue cognoscimus, ea vates exponunt flammam et exta spectantes volucresque observantes. Nonne quum talem vitae apparatum deus nobis suppeditet, luxuriae indulgent ii quibus haec non sufficiant?"

Quid sibi vult haec de vita humana panegyrica oratio, quem locus non poscit? Videtur Euripides oratoriae artis specimen edere voluisse, nulla enim data copia hanc laudationem, unde ne divinationis quidem praeconium abest, instituit haec tantum verba praefatus:

ἄλλοισι δὴ 'πόνησ' ἁμιλληθεὶς λόγῳ τοιῷδε.

Quantum scio nusquam apud nostrum simile quid legitur, ita ut credam eum aliquando experiri voluisse quid in hoc genere facultate dicendi valeret. Quam explicationem tamen urguere nolo; vidimus enim supra Supplices a reliquis fabulis differre fide et pietate erga deos incorruptis, ita ut haec quoque de vita sententia huic fabulae non male conveniat. Abstineamus igitur a molesto ardore omnia explicandi; nam et in multis aliis quaestionibus et profecto in hac, quae versatur in exponendis poetae ingenio et cogitationibus, oportet nos aliqua nescire.

Verum quae fuit vulgaris apud Graecos opinio de vita humana? Nihil prope eorum dictorum quae ex Euripide rettulimus novum erat[1]). Homerus non solum nota illa doliorum narratione exposuit vitam

---

1) Cf. omnino Stob. flor. tit. 98, 105, 120.

gaudio et dolore esse temperatam sed eius brevitatem, vanitatem, miseriam clare perspexit, ita ut Jupiter miseratione motus exclamet (Il. XVII 446):

οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν οἰζυρώτερον ἀνδρὸς
πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει [1]).

Hesiodum scimus aetatem suam, ferreum sc. hominum genus, vitaeque institutionem acerbe queri [2]). Neque poetae lyrici in hac re deficiunt. Neminem felicem esse Solon dixit [3]), Pindarus vitam nil nisi σκιᾶς ὄναρ [4]), umbrae somnium judicavit. Herodotus quoque vitae miseriam saepius expressit [5]). Cleobis Bitonisque fabula haud dubie indicare videbatur mortem hominibus vita esse potiorem [6]). Tragici, quorum tota ars versatur in calamitatibus humanis illustrandis, ante omnes institerunt hominum infirmitati et miseriae. Paucas tantum sententias insignes Sophoclis apponam [7]). Ulysses conspicatus Aiacis insaniam homines intelligit esse εἴδωλα ἢ κούφην σκιάν (125). In Oedip. Col. chorus exclamat (1225):

μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νικᾷ λόγον· τὸ δ᾽ ἐπεὶ φανῇ,
βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει
πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα [8]).

Euripideae illi sententiae simillima.

Quid? Putabamus Graecorum naturam fuisse placidam, laetam, hilarem, iisque vitam quasi dies festos perpetuos esse visam! Nec non Bernhardius (I pg. 170) Euripidem vocat „fast den ersten systematischen Gegner des Herkommens, welcher..... die volksthümliche Meinung von der Herrlichkeit des Lebens ernstlich bestritt." Vidimus tamen etiam priores poetas easdem

---

1) Cf. nobilissimum Iliadis locum (VI 146):
οἵη περ φύλλων γενεὴ τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
et Od. XX. 201—203.

2) Ἔργα κ. ἡ. 42 sq., 100 sqq., 175 sqq.

3) Bergk. fr. 7.

4) Neme. VI 1 sqq.

5) Vid. Solonis orationes ad Croesum habitas, ipsiusque Croesi sententiam mutatam.

6) Menander aperte (apud Stob. flor. 120,8):
ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

7) Vide praeterea: Aesch. Prom. 546 sqq., Suppl. 327 sqq., Agam. 553 sqq., 1327 sqq., Philoct. fr. 244., fr. inc. 301. Soph. Ai. 131 sqq., Oed. R. 1186—1222, 1528 sq., Oed. Col. 609 sqq., 1231, Trach. 1 sqq.

8) Vid. simillimam sententiam apud Theogn. 425 sqq.

opiniones quas Euripides tueri. Num igitur hi quoque a populo dissentiebant? At artes literaeque Graecae semper visae sunt non ab hominibus doctis esse constitutae, verum arctissime cohaerere cum ingenio populari, in quo fundamentum suum haberent. Quomodo igitur haec omnia explicanda sunt?

Genti juvenili, cui, quum sub coelo temperato paucis tantum rebus ad vivendum opus esset, vita erat facilis, nec tamen ita ut inertes perpetuo otio frui possent, laetam quoque eam videri necesse erat. Graecis ergo summus amor vitae et lucis ingeniumque hilare innatum erat, cuius rei testimonia sunt tristissima conditio, qua homines post mortem teneri fingebant, cultusque magnificus deorum, quos nulla re magis delectari credebant quam feriis ludisque communi hominum conventu laete celebratis. Haec erat igitur primaria gentis notio: vitam esse felicem et laetam. Verum simulac aliquis poeta, sublimiore et acutiore ingenio praeditus quam vulgus, magnos eventus canere suscepit, qui nulli sine laboribus doloribusque conficiuntur, necesse erat ut diligentius intuenti veniret in persuasionem vitam non semper tam facilem et felicem esse ac vulgo videretur. Haec igitur nascitur velut opinio secundaria, quae vulgaribus notionibus quodammodo opposita apud omnes poetas saepius rariusve repetita legitur. Cave tamen inde colligas poetas illos revera vitam esse perosos. Primum enim quod ingenium natura ipsa genti alicui vel singulis hominibus instillavit, id per omnes paene eventus et casus conservari solet;

»Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu".

Neque illi ut Euripides in otio vivebant solis studiis vacantes perpetuo rebus et doloribus fictis occupati, sed in media luce omniumque vitae publicae vicissitudinum participes. Intelligebant quidem iis qui in aerumnis vivant vitam durissimam videri posse, ipsi tamen ea quasi summo bono magna cum voluptate fruebantur. Itaque ab Homero, quamquam probe perspexit rerum humanarum miseriam et vanitatem, tamen semper mors tristis et horribilis vitae luci opponitur, ita ut Achilles omnium inferorum imperio praeferat vilissimi mercenarii vitam. Sophocles extremae perniciei pictor eximius per totam vitam tanta fuit hilaritate ut apud aequales in proverbium abierit. Non facile

excogitari potest religio acerbior et tristior quam Herodoti opiniones de deorum invidia et crudelitate, qui scelerum a maioribus commissorum poenas a posteris repetere soleant, et tamen universum eius opus documentum esse videtur animi simplicis, placidi, benevoli, laeti. Opiniones illae ad mentem et rationem magis pertinebant quam ad animos.

Etiam populus procul dubio procedente tempore mala publica expertus et a poetis edoctus intellexit vitam non semper esse felicem, sed rebus quotidianis occupatus facilius oblivisci solet, ita ut illae notiones in eius mente numquam radices agerent. Existimo ergo et populum et poetas, quamquam hi non raro vitae miseriam illustrarunt, consentientes fere vitam universam jucundissimam duxisse.

Sed ab his diversum fuisse nostrum vidimus, nec dubito statuere eum magis suum animum expressisse, ubi querelas de rebus humanis personis scenicis suppeditaret. Erat enim moribus tristibus et morosis, vivebatque remotus a strepitu forensi, neque fruebatur multifariis voluptatibus, quas ferebat publica Graecorum vita. Tum eius scepticae de rebus divinis cogitationes, quae partim fortasse originem duxerant a moroso de vita judicio, procul dubio ipsae mutuo hoc judicium confirmabant. Iis qui de his rebus perpetuo meditantur, nisi certam disciplinam sibi assequantur, vita semper difficillima solet videri. Praeterea postquam Euripides ad provectiorem venit aetatem, tempora revera graviora, vita tristior facta erat, quum bello diuturno discordiisque civilibus, tum labefactatis antiquis moribus. Etiam Socrates et Socratici ad rationis normas et leges omnia exigentes severioraque edentes praecepta moralia antiquae levitati animique tranquillitati nocebant. Exeunte saeculo quinto omnino invaluerunt opiniones novae de vita humana, quarum Euripides non solum particeps sed auctor quoque ac fautor fuisse videtur.

---

# CAPUT II.

## DE MORIBUS ET VIRTUTE.

### § 1. *Opinionum confusio.*

Initium quaestionis propositae aptissime sumitur ex ultimis verbis capitis proximi; nam ad recte intelligendas Euripidis cogitationes de his rebus discrepantes et confusas animum attendere debemus ad universam illam contentionem rerum antiquarum et novarum, quae illa aetate hominum mentes perturbare coeperat. Supra de hac materia breviter exposui (pg. 21 sq.); hoc vero loco denuo paucis explicanda videtur.

Ut id quod volo quam planissimum faciam, gentem Graecam, quemadmodum se exeunte saeculo quinto habebat, mihi libet componere Herculi Prodiceo, qui absoluto facili juventutis itinere, in quo ei recta modo et aperta via qua procedebat sequenda erat, neque ulla apparebat semita in quam devius deflecti posset, tandem pervenit in bivium illud, ubi aut virtutis aut voluptatis eligendus erat trames. Notandum mihi videtur hanc fabulam ipso illo tempore compositam totius gentis conditionem illustrare. Nam in simile bivium haec devenerat. Solvi coeperant antiqui mores vulgaresque vivendi rationes, quibus nitentes homines sine studiis repugnantibus facile conficiebant vitae curriculum; exinde igitur singulis hominibus proprii mores et rationes soli duces erant futuri.

Inter diversas quae patebant vias duae conspicuae erant et ante omnes apparebant; quarum altera virtutem monstraret excelsiorem, religiosiorem sed tristiorem quam adhuc colebatur, vitam scilicet a voluptatibus alienam, ab hominum societate remotiorem; cum altera contra nullam officiorum cogitationem indicaret, sed in captanda republica, in quaestu faciendo, in libidinibus explendis licentiam polliceretur multo maiorem quam adhuc fuerat.

In primo Graecorum agmine Euripides in illud bivium pervenerat. Licet ipse meliorem sibi viam eligeret, esse tamen qui duce natura deterioris viae deliciis caperentur et intelligebat et aliquatenus ignoscebat; quo factum est ut in eo mixtum et confusum videamus illud quod restabat ex antiquis opinionibus cum

rationibus novis, nec solum cum purioribus sed etiam cum deterioribus. Ex se intelligitur sane ea non distincte separata esse, et verendum est ne stolidius et putidius ingenium humanum in frustula dissecare videar, — verumtamen perspicue disputare non possum nisi ad hanc partitionem omnia disposita recenseam. Sed priusquam ad has partes singulatim explicandas transeam paucae sententiae apponendae sunt, quas conditionis illius ancipitis, cum deperditis antiquis rationibus novae eligendae essent, documenta esse puto.

In Erysth. Satyr. dicebat aliquis (fr. 377):

οὐκ οἶδ' ὅτῳ χρὴ κανόνι τὰς βροτῶν τύχας
ὀρθῶς ἀθρήσαντ' εἰδέναι τὸ δραστέον,

quibus convenit secunda pars fragmenti inc. 904, ubi hoc a summo deo flagitatur:

πέμψον μὲν φῶς ψυχῆς ἐνέρων
τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν,
πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν,
τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένους
εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν.

Tales preces, quibus homines deum rogant ut sibi monstret originem generis humani, originem mali, optimam religionis viam, vix a Graeco fonte manare videntur; apud priores certe frustra quaesieris. Nec mirum: dum mores patrum viam indicabant nemini dubitatio surrepere poterat quid sibi esset faciendum; illis vero collabentibus huiusmodi quaestiones oriri coeperunt.

Jam transeamus ad singulas partes [1]).

## § 2. *Quatenus Euripides cum opinionibus vulgaribus consenserit.*

In Partis tertiae prolegomenis de rerum divinarum notione apud Graecos vidimus summam virtutem iis visam esse σωφροσύνην,

1) Multae apud nostrum leguntur sententiae acutissimae et verissimae de rebus moribusque humanis, quas tamen praeterire mihi potius visum est, quum ad rationem certam revocari non possint observationes separatae, quales ab omnium aetatum hominibus sagacibus eduntur. Velut: superbi moleste ferunt humilium hominum orationes rectiores (Andromach. 189); nimiae laudes fastidium pariunt (Heraclid. 202); infelices felicioribus infensi sunt (Iph. T. 353); unusquisque sibi ipse carissimus est (Med. 86); homines amicis recentibus potius parere solent quam quibus diu usi sunt (Andromach. 876).

quae homines vetet naturae humanae fines excedere, humani quidquam a se alienum putare; quare in templo Apollinis Delphici, qui non solum regionis sed et ingenii Graeci erat ὄμφαλος, inscriptum erat μηδὲν ἄγαν. Euripides quoque auream illam mediocritatem laudabat. Frequenter in eius fabulis occurrunt homines, qui huius praecepti neglecti poenas dant. Hippolytus periit quod se amore carere posse putabat, Bellerophon quod terra relicta coeli regiones petere ausus erat. Adrastus omnia perdidisse intelligitur quia arrogantia elatus nimia appetivisset (in Suppl.); rursus (in eodem dramate) ipse populus Thebanus propter ὕβριν a Theseo devincitur; Pentheus misere obtruncatur quod prae superbia Dionysum non agnoscebat esse deum.

Magna quoque est sententiarum copia eodem pertinentium, quarum nonnullas proponam. Nutrix in Medea (125):

τῶν γὰρ μετρίων, inquit, πρῶτα μὲν εἰπεῖν
τοὔνομα νικᾷ, χρῆσθαί τε μακρῷ
λῷστα βροτοῖσιν.

Phaedrae nutrix in Hippolyto dicit (253 sqq.) oportere hominum amicitias esse modicas, ita ut facile conglutinari et dissociari possint. Tertia nutrix in Hermiona reprehendit nimium odium Andromachae, sed et nimium metum ne maritus sibi irascatur quod in illam tam crudeliter grassata esset (866 sqq.). Iocaste in Phoenissis filios flagitat ut omittant τὸ λίαν. In Iph. Aul. Achilles de suo animo praedicat (920):

ἐπίσταται δὲ τοῖς κακοῖσί τ' ἀσχαλᾶν,
μετρίως τε χαίρειν τοῖσιν ἐξωγκωμένοις.
λελογισμένοι γὰρ οἱ τοιοίδ' εἰσὶν βροτῶν
ὀρθῶς διαζῆν τὸν βίον γνώμης μέτα [1]).

Sed docuit Hippolyti expositio (vid. pg. 99—101) eum non semper aequo animo ferre poenas et mortem eorum qui illud praeceptum non observaverint, verum vehementer indignari, quoties generosi et probi hac de causa pereant.

Suspicor Bellerophontis similem fuisse rationem. Ex aliorum

1) Cf. Alcmeon. fr. 80:

βροτοῖς τὰ μείζω τῶν μέσων τίκτει νόσους,
θεῶν δὲ θνητοὺς κόσμον οὐ πρέπει φέρειν.

vid. praeterea Bacch. 427—431, Andromed. fr. 128, In. fr. 418, 422. Philoct. fr. 796.

annotationibus et significationibus [1]) et e fragmentis servatis colligunt heroem Pegaso vectum coelum petivisse, — quantum conjici potest ut deos cognosceret, — sed in terram recidisse; eumque tum negantem deos esse ab amico aliquo vix esse prohibitum quin de vita ultro migraret. Non inepte Welcker existimat eius imaginem esse expressam ad exemplum *μισανθρώπου*; sed etiam magis assentior Bodio, qui eum suspicatur a poeta donatum esse ingenio audaci, superbo, novarum rerum studioso, ad summa tendenti [2]), ita ut dii quales essent coram conspicere vellet. Quae omnia in ipsius Euripidis ingenium tam apte cadunt, ut non possim non suspicari poetam suam animi affectionem auctam et amplificatam illa imagine repraesentasse. Quare vehementer doleo quod Bellerophon non superest.

Quamvis autem plerumque indignaretur etiam probos perire, si deorum quendam colere neglexissent, — cum aetate provectus hoc quoque ferendum esse intelligeret, ut cognovimus e Bacchis, — tamen semper probabat poenas eorum qui superbia elati diis hominibusve injuriam inferrent. Cum aequalibus et maioribus consentiens videt ea flagitia plerumque manare a nimia felicitate rebusque nimis prosperis. In Herc. fur. chorus Lycum spectans canit (774):

*ὁ χρυσὸς ἅ τ' εὐτυχία*
*φρενῶν βροτοὺς ἐξάγεται*
*δύνασιν ἄδικον ἐφέλκων.*

Hipp. velati fr. (440) a Stobaeo relatum (105, 43) haec habet:

*ὁρῶ δὲ τοῖς πολλοῖσιν ἀνθρώποις ἐγὼ*
*τίκτουσαν ὕβριν τὴν πάροιθ' εὐπραγίαν.*

Illa infirmitatis humanae persuasio cum cupiditates coercet, tum optimum est rerum secundarum propugnaculum et consolatio praesidiumque malorum. Reputandum est non solum mala a natura humana non aliena esse sed plerosque homines iis opprimi. Chorus in Hipp. (884 sq.) Theseum maerentem monet aliis quoque uxores periisse; apud Plut. (Mor. pg. 106 A.) Dictys Euripideus Danaen jubet alienas contemplari calamitates, ut cogitans, quot homines variis de causis infelices sint, suum dolorem

1) Aristoph. Pac. 135 sq., 146 sqq., Acharn. 426 sq., Pind. Isthm. VII 44, Asclep. ad schol. Il. VI 155, vid. Dind. ad hanc fab. pg. 309.

2) „Ein hochfahrender Freigeist".

aequius ferat. In Bellerophonte aliquis (plaudente Crantore apud Diog. L. IV. 5 26) confitetur sibi nullum esse locum querelarum, quod passus sit naturae mortalium consentanea [1]). Parvo discrimine in Thesei fr. (392) apud Plut. (Mor. pg. 112 D) servato Theseus ait, ut Ciceronis conversione utar (Tusc. III. 14, 29):

»nam qui haec audita a docto meminissem viro
futura mecum commentabar miserias:
aut mortem acerbam aut exsili maestam fugam
aut semper aliquam molem meditabar mali,
ut, si qua invecta diritas casu foret,
ne me imparatum cura laceraret repens.

Quae laudans M. Tullius ad praeceptoris auctoritatem revocat, — quod per me licet, — subjiciens: fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse »sciebam me genuisse mortalem''.

Omnino crebris sententiis Euripides docet fato cedendum esse, malaque divinitus illata sedato animo esse perpetienda. Orestis initium praeclarum a Socrate laudabatur:

*οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,*
*οὐδὲ πάθος, οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος,*
*ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις* [2]).

In exitu Phoenissarum Oedipus, quo nemo graviora passus erat, ait (1761):

*ἀλλὰ γὰρ τί ταῦτα θρηνῶ καὶ μάτην ὀδύρομαι;*
*τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν* [3]).

Ostendimus superbos crudelesque ab Euripide vituperatos supplicio affici, hostibus vero et inimicis injuriam inferre probro non videtur habere. In Heraclidis tantum hostem captum occidi

---

1) Cf. Med. 1017 sq., In. fr. 422, Hypsip. fr. 757, fr. inc. 1060.

2) Hoc modo versum a Cic. (Tusc. IV 29, 63):

Neque tam terribilis ulla fando oratio est,
nec sors nec ira caelitum invectum malum,
quod non natura humana patiendo ecferat.

3) Vid. praeterea Phoen. 382, Teleph. fr. 724, Aeol. fr. 37, Belleroph. fr. 289, Melan. fr. 507, Oenom. fr. 576, Hyps. fr. 757, Alcmen. fr. 99, Antig. fr. 175, fr. inc. 956, 1061. Cf. ex aequalium scriptis Aeschyl. Prometh. 103 sqq., Pers. 293 sq., Soph. Oed. Col. 7 sq., El. 158 sqq., Thyest. fr. 286, Ter. fr. 521, Phaedr. fr. 611.

vituperat [1]). Verum Lycus ab Hercule sine reprehensione occiditur; Hecuba impune Polymestorem ulciscitur neque Agamemnoni poenas dat; etiam in Medea vix improbatur Creusae Creontisque caedes. Ion, vir mitissimus, quum a Pythia retinetur ne Creusam occidat, exclamat: »nonne oportet me occidere eos qui mihi mortem intendere voluerunt? purus enim et innocens est quicunque inimicos interficit" [2]). Hac in re Euripides igitur nondum proposuit sublimia Socratis dicam an Platonis praecepta [3]), quae quemquam vetant injuriam inferre iis a quibus passus sit, docentque satius esse injuriam accipere quam facere, — sed potius secutus est opinionem, quam Socrates Platonicus *τοῖς πολλοῖς* attribuit, eosque mores laudavit, quos Solon a Musis flagitat his verbis (apud Bergk. fr. 13, 5 sqq.):

*εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρὸν,*
*τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.*

Haec omnia igitur ab aequalium opinionibus parum differebant.

## § 3. *Crimen morum corruptorum ab Aristophane Euripidi illatum.*

Sed jamdudum fert animus indagare quatenus a praeceptis ethicis, quae vulgo valerent, in deteriorem partem discesserit, et quid tandem illud sit in quo Aristophani aliisque nonnullis morum corruptor visus sit. Ipsius criminis documenta exstant in Ranis; primum v. 771 sqq.:

*ὅτε δὴ κατῆλθ' Εὐριπίδης, ἐπεδείκνυτο*
*τοῖς λωποδύταις καὶ τοῖσι βαλλαντιοτόμοις*
*καὶ τοῖσι πατραλοίαισι καὶ τοιχωρύχοις,*
*ὅπερ ἔστ' ἐν Ἅιδου πλῆθος, οἱ δ' ἀκροώμενοι*

---

1) Apud Thuc. III c. 58 Thebani a Spartiatis vitam sibi deprecantur, quod se ipsi tradiderint in eorum potestatem. Quam rem fortasse illa Alcmenae Atheniensiumque contentione significari supra disputavi (vid. pg. 13 sq.).

2) Hecuba (in cogn. dr. 844 sq.) Agamemnonem monet probi et strenui esse viri malos ubique vexare.

3) Plato Crito pg. 49 C., Gorg. pg. 469 B., 508 D, E. In Critone Socrates testatur sibi illud jamdudum placuisse; verum apud Xen. Mem. II 3, 14 et 6, 36 idem disertis verbis ait summam virtutem esse amicos occupare beneficiis, inimicos maleficiis. Praestat fortasse illud dogma Platoni quam Socrati ascribere.

τῶν ἀντιλογιῶν καὶ λυγισμῶν καὶ στροφῶν
ὑπερεμάνησαν, κἀνόμισαν σοφώτατον.

tum (v. 954) de se ipse praedicat Euripides:

ἔπειτα τουτουσὶ λαλεῖν ἐδίδαξα........
λεπτῶν τε κανόνων ἐσβολὰς ἐπῶν τε γωνιασμούς,
νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, στρέφειν, ἐρᾶν, τεχνάζειν,
κάχ' ὑποτοπεῖσθαι, περινοεῖν ἅπαντα.

v. 850 ab Aeschylo dictus erat

γάμους δ' ἀνοσίους ἐσφέρων ἐς τὴν τέχνην.

et v. 1077 eorundem vitiorum ab eo accusatur hoc modo

ποίων δὲ κακῶν οὐκ αἴτιός ἐστ';
οὐ προαγωγοὺς κατέδειξ' οὗτος,
καὶ τικτούσας ἐν τοῖς ἱεροῖς,
καὶ μιγνυμένας τοῖσιν ἀδελφοῖς,
καὶ φασκούσας οὐ ζῆν τὸ ζῆν;

itaque effecisse dicitur »ut urbs plena esset scribarum, furum, adulatorum, qui populum semper deciperent, et ut prae mollitia nemo amplius facem ferre posset". Accusationis capita ergo haec sunt: usus ratiuncularum callidarum, unde mali discerent scelerum excusationes et defensiones; omnino nimius usus artis rhetoricae, qua juvenes fierent loquaces et effeminati; repraesentatio feminarum lascivarum, amorumque inhonestorum; horumque commendatio per artificia rhetorica.

Ante omnes sophistae quoque arguebantur arte rhetorica boni malique terminos sustulisse; qui quoniam autem eius artis studium certe in Graeciam introduxerunt et Euripides eorum discipulus sedulus fuisse creditur, tum hic quoque haud dubie simul cum illis Socratis nomine in Nubibus exagitatus est [1]), videtur de vitiis Euripidi objectis apte disputari non posse, nisi antea de sophistis, eorum scilicet auctoribus, expositum sit.

## § 4. *De Sophistis.*

De nullo fortasse hominum genere per viginti saecula judicium iniquius et falsius latum est. Omnium fere et suae et sequentis

---

1) Vid. v. Leeuwen diss. de Arist. Eur. censore pg. 16 sqq.; Nub. v. 1371 sqq. Euripides nominatim petitur.

aetatis vitiorum auctores perhibebantur, quare Müller Strübing in notissimo suo opere facete eos comparat cum feli, in quam semper culpa conferri soleat quotiescunque rerum domesticarum aliqua perierit. Primus Grote, vir Anglicus doctissimus, acer eorum exstitit patronus et vindex (Hist. of Greece), quem alii viri docti secuti sunt (Müller Strübing, Lewes, cet.), qui tamen quia mihi nondum omnia argumenta in partes vocasse vel recte exposuisse videntur, non inutile erit sophistarum causam iterum suscepisse.

Sophistae erant praeceptores, qui juventutem ornabant scientia universa earum rerum quae in comitiis et in tota vita publica tractari solebant, atque eos docebant scientiam illam quam possent ornata et copiosa oratione exponere [1]).

Mutatis enim temporibus non amplius generis nobilitas ipsa per se cives ad rempublicam admovebat. Humillimo loco nati eam capessere coeperant, itaque utrisque maior copia dicendi et amplior variarum rerum scientia opus erat quam adhuc suppetiverat, popularibus quia carebant patribus, qui sibi rerum usum praecipere possent; optimatibus ut rationis armis antiqua jura defendere possent, neve gliscente democratia ab adversariis vincerentur.

Praeterea in immensum auctae erant variae lites, et pro maximo litigandi studio unusquisque quotidie expositus erat sive causae privatae sive publico crimini. Quoniam autem leges reum jubebant ipsum suam causam dicere, necdum oratores erant qui mercede orationes reis vel accusatoribus suppeditarent, omnibus civibus ante omnia facultas dicendi et quaedam juris scientia opus erat [2]); et quum in his rebus paene necessarium sit certas notiones habere de justitia, virtute, ut brevi dicam de fundamentis, quibus nititur communis hominum societas, ethicam quoque hanc materiem institutione complectebantur. De his rebus nihil docebant quod a vulgaribus notionibus Graecorum discreparet.

---

1) Plut. in Vit. Themistocl. c. II meminit Phrearrii, *οὔτε ῥήτορος ὄντος οὔτε τῶν φυσικῶν κληθέντων φιλοσόφων, ἀλλὰ τὴν καλουμένην σοφίαν, οὖσαν δὲ δεινότητα πολιτικὴν καὶ δραστήριον σύνεσιν, ἐπιτήδευμα πεποιημένου καὶ διασώζοντος ὥσπερ αἵρεσιν ἐκ διαδοχῆς ἀπὸ Σόλωνος· ἣν οἱ μετὰ ταῦτα δικανικαῖς μίξαντες τέχναις καὶ μεταγαγόντες ἀπὸ τῶν πράξεων τὴν ἄσκησιν ἐπὶ τοὺς λόγους σοφισταὶ προσηγορεύθησαν.*

2) Cf. Lewes, Hist. of philosophy I, pg. 114 sq.

Praecepta moralia eorum, quatenus nobis tradita sunt, optimi cuiusque Graecorum doctrinis adnumerari possunt. Mythus, quo Protagoras explicabat Jovem hominibus initio infudisse δίκην et αἰδὼ (Plato Prot. pg. 320 D—322 D), purissimus est. Neque Gorgias et Hippias dissensisse videntur. Prodici nota sunt praecepta moralia sanctissima Herculis fabula illustrata [1]).

Qui tandem factum est ut in omne aevum velut morum corruptores despectui fuerint? Quia aequales non intellexerunt eorum doctrinas, discipuli nonnulli iis abusi sunt; quia injuria disciplinam philosophicam constituere credebantur et recentiores plerique eorum doctrinas philosophicas immerito ad praecepta moralia rettulerunt. Plato iis omnium maxime nocuit; sed Socrates Platonicus non solum sophistas verum omnes viros politicos et omnes poetas aeque vexavit, omnesque mores vulgares quaestionibus exagitavit. Neque in hac quaestione praetermittendum est nullum de sophistis ad nos pervenisse testimonium nisi quod ab acerrimis adversariis traditum sit.

Quatenus autem philosophiae studebant? Duo eorum Protagoras et Gorgias philosophicas proposuerunt doctrinas, quibus quidquam vere sciri posse negabant. Protagoras enim hanc explicavit sententiam (vid. Plat. Theaetet. pg. 152 A): πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ μὴ ὄντων ὡς οὐκ ἔστι, i. e.: nihil certam habere naturam sed id esse quod cuique videatur. Gorgias disputaverat: nihil vere esse; si quidquam sit id tamen cognosci non posse; si cognosci possit, tamen oratione aliis exponi non posse.

Verum philosophia sophistis minime proprium erat. Nihil commune habebant nisi institutionem juventutis. Quia igitur non fuere philosophi sed praeceptores, primum quaestus eorum nihil vile, nihil abjecti habebat [2]); deinde absurdum

---

1) Zeller Groteo obloquens (I pg. 1004 ed. 3) putat id ipsum, quod praeceptores exstiterunt, declarare antiquas rationes mutari: „Hätte man einfach der gemeinen Sitte zu folgen, so wären besondere Tugendlehrer entbehrlich, jeder würde von selbst aus dem Verkehr mit seinen Angehörigen und Bekannten lernen was er zu thun hat". Primum autem sophistae non separatim virtutem docebant, sed erat haec pars totius institutionis, qua utiles cives formarentur. Deinde populares nulla parentum consuetudine formari poterant. Tum aliud est vulgares mores temere sequi, aliud intelligere quare sequendi sint, rationes eorum perspectas habere, deque his apte et ornate disserere posse.

2) Id quod Zeller quoque concedit.

est omnes sophistas una schola complecti [1]). Quin etiam Protagoras et Gorgias philosophiam videntur ab institutione prorsus separasse; in disputationibus et orationibus quas habent apud Platonem, adversarium acerrimum, numquam dogmata illa commemorant. Itaque nemini licet illa ad res ethicas transferre, et summae injustitiae est iis objicere quod boni et mali terminos sustulerint eorumque distinctionem ad cuiusque libidinem revocaverint. Nullo modo iis quidquam amplius exprobrari potest quam vitium judicii, sc. quod non perspexerint sceptica placita de cognitione veri facile inducere homines ut certam quoque boni malique rationem esse negent [2]). At hoc nonne est multorum philosophorum commune vitium, quod quo tenderet doctrinarum suarum constantia et perpetuitas non viderint?

Quid ergo reliquum est e gravibus illis probris, quae iis objici solent? »At Callicles et Thrasymachus palam defendere ausi sunt summam virtutem esse leges nihil curare, voluptates suas quam maximas esse sinere easque, reliquis hominibus voluntati suae subjectis, viribus et potentia nisum libere explere posse" [3]).

Thrasymachus sane hanc sententiam proposuit, quum in conventu amicorum sermo de natura justi et boni institui coeptus esset reliquique diversas opiniones tuiti essent (Plato de Rep. l. I), sed numquam fertur eam in oratione coram populo habita enuntiasse aut juventutem docuisse; praecepta rhetorica scriptis exposuit; ne constat quidem eum discipulos habuisse, sed si habuit tamen nihil nisi angusta artis rhetoricae praecepta iis tradidisse videtur, ob id ipsum scilicet a Platone reprehensus! (Phaedr. pg. 267 C, 269 D, 271 A). Nihilominus huius viri

---

1) Jure igitur Grote vocem „Die Sophistik", a viris doctis Germanis saepius jactatam, vehementer improbat.

2) Quamquam ne id quidem certum videtur, eos iure sic culpari. Nam Protagorae Gorgiaeque placita videntur tantum ad sensuum perceptionem pertinere; dubium autem est num cum sensuum fide et veritate necessario etiam boni malique cognitio, *δίκη* et *αἰδὼς* tollatur. Testimonio sunt rationes philosophicae Parmenidis, Socratis, Platonis.

3) Gorg. pg. 483 D: *οὕτω τὸ δίκαιον κέκριται τὸν κρείττω τοῦ ἥττονος ἄρχειν καὶ πλέον ἔχειν*, de Rep. pg. 338 C: (Thras.) *φημὶ γὰρ ἐγὼ εἶναι τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον.*

doctrinae nullo adhibito discrimine omnibus sophistis ascribi solent! [1])

Callicles autem non modo non sophista erat sed iis prorsus dissimilis vir politicus totam eorum artem despiciebat [2]). Injuria eum Zeller in numero sophistarum habuit. Sophistae enim fuere, ut dixi, juventutis praeceptores quorum paucissimi philosophiae operam dabant, Callicles autem neque fuit praeceptor neque philosophiae operam dabat sophistasque omnes deridebat. Nihil ei fuit cum illis nisi quod aliquando eos audivit, fortasse ut dicendi fieret peritus. Videntur mihi qui huius sententias sophistis ascribunt simillimi esse ei qui Cyrenaicorum mollitiem, Megaricorum nugas, Cynicorum impudentiam Socrati exprobraret.

»At Polus tamen in sophistarum numero habendus est. Is autem defendit regem Persarum, quippe omnium potentissimum, Archelaumque, qui per multifaria scelera imperio Macedoniae potitus sit, omnium hominum felicissimos esse praedicandos" (Plato Gorg. pg. 470 A—471 D). Primum observa Polum iis non, ut fecit Callicles, summam virtutem tribuere verum summam felicitatem, summa injustitia quaesitam (pg. 471 A). Tum vide, quaeso, quid respondeat Socrates (pg. 472 A) »Prope omnes, inquit, Athenienses et peregrini tibi hac in re consentient; si vis me adhibitis testibus erroris convincere, tibi testes aderunt Nicias Nicerati f. et fratres..., Aristocrates Scellii f.[3])..., tota Periclis domus.... vel alia familia quamcumque e civibus eligere volueris". Jam quaero quo jure morum corruptor habeatur sophista, qui nihil doceat nisi quod placuerit justissimis Graecorum huc usque semper laudatis! Quaero deinde annon eandem ob causam consentaneum sit Protagoram et Prodicum optimos morum emendatores haberi, quorum scilicet noverimus praecepta multo puriora quam illa justissimorum Atheniensium dogmata!

»At per rhetorica artificia omnia perturbare et evertere stu-

1) Omnino cf. Grote Hist. of Greece, New-York 1883 tom. III pg. 423 sqq., ubi docte quoque exponit non tam vilem esse Thrasymachi doctrinam ac plerisque videatur; vid. apud me infra pg. 151.

2) Gorg. pg. 484 sqq.

3) Vir fortissimus, qui in bello Peloponnesiaco multa praeclare gessit.

duerunt sophistae. Protagoras enim ipse ultro et plane pollicitus est se »τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν". Haud dubie hoc promisit, siquidem Aristoteli fides non deneganda videtur [1]. Illis autem verbis Protagoras significavit se docere: quanam arte dicendi causa inferior fieri superior posset (vid. Cic. Brut. VIII 30); id est: quemadmodum id quod non sit verisimile tamen probari possit [2]. Fiunt autem multa quae vix fieri posse videantur: εἰκὸς γίνεσθαι πολλὰ καὶ παρὰ τὸ εἰκός (Agath. ap. Aristotel. Poet. 1456 *a*), sed quum veritatem quaeramus in omnibus rebus praesertim in judiciis, eamque etiam aliis exponere debeamus si quid boni et honesti perficere volumus, sola vis et copia dicendi hoc potest efficere ut probemus id quod verum sit nec tamen videatur. Non video quid hoc habeat probri. Immo summam laudem semper assecuti sunt siqui causarum patroni innocentem ostenderunt reum, quem omnes res ut saepe fit accusarent, aut reum, quem omnia absolverent, sceleris convicerunt [3].

Nihil igitur Protagoras se docere professus est nisi optimam artem dicendi. Nemo profecto negabit eam artem non solum perniciosissimam esse posse sed etiam saepe perniciosam fuisse; quare idem hoc crimen Isocrati aliisque rhetoricae praeceptoribus illatum est. Sed jure Gorgias ipse (Plat. Gorg. pg. 456 D E) acriter instat ne quis arte abutatur, apteque exponit hanc non

1) Rhet. II. 24.

2) Non: quomodo causa deterior, sive id quod falsum est, probari possit. Ab initio illa verba videntur sive propter ignorantiam sive de industria perperam esse explicata; ἥττων enim numquam significabat eo tempore deterior, sed infirmior. Unusquisque videt quantum intersit utrum dicas: causam deteriorem an infirmiorem reddere superiorem. Nescio an Zellerum differentia fugerit. Ait (pg. 1017 not. 2): „der ἥττων λόγος ist die den Gründen, und somit dem Rechte nach, schwächere Sache, welche durch die Kunst des Redners stärker gemacht werden soll". Haec conclusio falsa est; ἥττων λόγος est causa argumentis infirmior, ergo defensu difficilior et specie tantum inferior non jure (cf. Plat. Gorg. pg 471 E), neque Xenophon Oec. II 25 verba Protagorea jure interpretatus est: τὸ ψεῦδος ἀληθὲς ποιεῖν . . . . , neque Aristophanes in Nubibus 112 sqq. 875 sq. 882 sqq. „mit boshafter Deutlichkeit", ut ait Zeller, sed maligna fraude vel errore τὸν ἥττονα λόγον mutavit in ἄδικον λόγον. Primum enim ad ἥττονα λόγον de suo addit: λέγοντα τἀδικώτερα, mox quos λόγους disputantes inducit simpliciter vocat δίκαιον et ἄδικον. His fraudibus sine dubio factum est ut semper confundantur ἥττων et ἄδικος. Plato vero de hoc Protagorae promisso prorsus tacet.

3) Grote totam quaestionem perperam judicavit, ideoque eum Zeller facile refutavit.

esse accusandam siquis ea abusus sit: neque enim si quis corpore in palaestra exercitato parentibus vel famulis vel amicis vim inferat, ideo omnes gymnasiorum magistros aut artis pugnandi praeceptores e patria esse expellendos! Universe dicere possumus non multas artes exerceri posse, si rejiciendae sint eae quae malo quoque consilio servire possint!

Zeller observat (pg. 1010 ann.) viros d. Grote et Lewes praetermisisse sophisticam distinctionem *νόμου* et *φύσεως*, plerisque vehementer improbatam. Nec tamen hanc rem sophistarum propugnatoribus et patronis vitandam esse puto. Primus autem Hippias legum auctoritatem infringere videtur; apud Xenoph. (Memor. IV, 4, 14) ait: *νόμους πῶς ἄν τις ἡγήσαιτο σπουδαῖον πράγμα εἶναι ἢ τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς, οὕς γε πολλάκις αὐτοὶ οἱ τιθέμενοι ἀποδοκιμάσαντες μετατίθενται.* Quod si sic excerptum legatur, quasi id Hippias ultro defendendum proposuisset, anceps et grave forsitan videri possit; sed vide, quaeso, quanam Socratis disputatione haec sententia provocetur. Instituta quaestione, quid sit *τὸ δίκαιον*, Socrates arguere conatur *τὸ νόμιμον* esse idem quod *τὸ δίκαιον*. Nam qui *τὸ νόμιμον* i. e. *τοὺς νόμους τῆς πόλεως* observet ipsum esse *νόμιμον* et *δίκαια πράττειν*, qui violet, eum *πράττειν ἄδικα*. Qui *δίκαια πράττει*, eum esse *δίκαιον*, qui *ἄδικα*, *ἄδικον*. Ergo *τὸν νόμιμον* esse *δίκαιον*, *τὸν ἄνομον ἄδικον*; *τὸ νόμιμον* igitur idem esse quod *τὸ δίκαιον*.

Jam omnes obtestor veritatis amatores, quis non repudiet talem disputationem, qua ex his quae erant sumpta: qui *νόμιμα πράττει*, *δίκαια πράττει*, puerili et putido errore dialectico [1]) concludatur *τὸ νόμιμον* idem esse quod *τὸ δίκαιον*, — nam id sibi Socrates ostendere proposuerat. Iure igitur rejicit Hippias, et verissime observat tanti momenti esse non posse *τὸ νόμιμον*, quod saepissime mutetur. Hac in re si Socratem sequaris necessario eo pervenias ut *τὸ δίκαιον* quoque perpetuo mutari dicas [2]), quod mihi multo magis moribus nocere videtur quam

---

1) Quem nemo rectius notavit quam Protagoras, stultus ille sophista et improbus! Nam Socratem aliquando eadem ratione disputantem (apud Plat. Prot. pg. 331) his verbis refutat: *οὐχὶ τὰ ὅμοιόν τι ἔχοντα ὅμοια δίκαιον καλεῖν.* Socratis disputationes apud Platonem scatent talibus erroribus, quorum nusquam adhuc inveni explicationem mihi probabilem. Quae Stallbaum annotare solet prope nauseam mihi movent.

2) Notandum est in Rep. Platonis (I pg. 338 D sq.) Thrasymachum, ut defendat

Hippiae propositum, quem indignor argumentis sequentibus tam facile transversum agi. At quamvis vere Hippias indicet leges, quae saepe abrogentur, *τῷ δικαίῳ* comparatae parum gravitatis habere, non ei concludendum erat leges earumque observationem non esse *σπουδαῖον πρᾶγμα*. Verum iterum moneo ambiguum esse an his verbis usurus fuisset nisi provocatus Socratis comparatione justitiae.

Apud Platonem (Prot. pg. 337 D) hoc tantum testificatur: legem, hominum tyrannum, vi impellere ad facienda multa quae naturae repugnent. Id nemo negare potest neque eam differentiam notasse probro est, dummodo ne juventuti inculces. Utinam legislatores semper naturae rationem habuissent! Iniquum est in hac Hippiae sententia nihil vidisse nisi fontem impudentis doctrinae Calliclis: »*ὅτι ἡ δέ γε φύσις αὐτὴ ἀποφαίνει αὐτὸ, ὅτι δίκαιόν ἐστι τὸν ἀμείνω τοῦ χείρονος πλέον ἔχειν καὶ τὸν δυνατώτερον τοῦ ἀδυνατωτέρου*" (Plat. Gorg. pg. 483 D). Primum enim Hippiam in oratione perdita, qua induxit Nestorem Neoptolemo praecepta moralia tradentem, nihil docuisse diversum a Graecorum moribus et rationibus etiam Zeller conjicit. Tum illa distinctio, quum natura haud dubie toties legibus praestet quoties leges naturae, etiam notionum et morum emendandorum fons et origo exstitit. Nam Lycophron ab ea orsus generis nobilitatem n o m i n e tantum pulchram dixit; Alcidamas eadem ratione liberos et servos natura pares esse, non diversos; aliique omnem servitutem improbaverunt ut naturae repugnantem. In hac re ergo solum dogma illud vehementissime improbatum invenit veritatem et aequitatem, quae optimos Graecos latuerat, qua nos hoc demum aevo gloriamur.

Aristophanes denique in Nubibus passim ostendit studia rhetorica juvenes reddidisse loquaces, molles, effeminatos. Cui accusationi partim occurri potest eo quod sophistarum plerique gymnasticen acriter commendaverunt, libris tractaverunt et ipsi quoque exercuerunt.

Jam subductis calculis concludendum est quam vim in mores

---

*τὸ δίκαιον* esse *τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον*, a simillima propositione ordiri; ait enim *τὸ δίκαιον* in variis civitatibus esse leges latas ab iis qui imperium teneant. Unde apparet non solum sophistas sed etiam Socratem aliquando tueri propositiones, quae, nisi summa cautio adhibeatur, in turpissimas sententias inducere possint.

sophistae habuerint. Ego haudquaquam contendam eos nulla ex parte moribus nocuisse. Nam artes quas tradebant pleraeque rectis et pravis consiliis servire poterant, et quum, ut supra monui, eo ipso tempore Graeci venissent in ancipitem illam conditionem ubi corruentibus moribus et rationibus antiquis novae quaerendae erant et omnia nova temere appetebantur, sophistarum quoque artes cupide arreptae ab ineruditis stultisque perperam explicabantur, a malis in voluptatum scelerumque instrumenta detorquebantur. Ita factum est ut sophistarum institutio multorum moribus nocuerit. Rursus vero etiam moribus profuerunt, nam quae in rebus ethicis praecepta ultro tradebant partim erant fere notiones optimi cuiusque Graecorum ad leges redactae et exstructae in rationis et intelligentiae fundamento — partim rationes sanctiores et puriores, aptae moribus emendandis, quarum vis tamen recentiores plerosque fugit quum ea quae in deterius verti possent ut fit plures sectatores habuerint. Sophistae ipsi profecto ad virtutem tendebant, cuius rei morum integritate luculentum ediderunt exemplum [1]).

## § 5. *Quatenus Euripides morum corruptor habendus sit.*

Jam vero redeamus ad Euripidem et quaeramus, ut erat propositum, quatenus sophistarum vestigia premens moribus nocere potuerit.

Ad institutionem rhetoricam revocari potest Antiopae fr. (189) apud Stob. 82. 2:

ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων
ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός.

Quicunque vero de rebus humanis multum meditatus philosophatusque est, ei talis sententia facile se obtrudet, quam celare fortasse praestiterat in populo ad dolos argutos captionesque dialecticas aptissimo; nam quamvis vera sit, veritas patefacta aliquando nocet. Videamus potius rhetoricae quaedam specimina ad scelus aliquod defendendum accommodata. In ea parte quae est de rebus divinis jam recensuimus eos locos, ubi homines vitiis

1) Nota est Gorgiae senectus viridis et robusta, temperantiae fructus.

suis praetendunt deorum aut vim aut exemplum (c. II § 4). Quod iis Euripides tantam verborum copiam suppeditavit, id profecto acceptum rettulit studiis rhetoricis, quibus sophistarum ductu et auspiciis incubuit; ipsam vero excusationis formam procul dubio non ab iis mutuatus est; nusquam apud Platonem vel Xenophontem occurrit sophista exponens vitiorum humanorum culpam in deos esse conferendam.

Sed aliis quoque rationibus prave facta excusantur. Quarum exempla petenda sunt e fabulis deperditis. In quibus quanta cautione opus sit illustrabo notissimo Hippolyti versu (612):

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

In rebus sequentibus enim Hippolytus tantum abest ut fidem frangat, ut contra summa cum religione servet, quamquam clare videt id sibi exitio fore. Hoc igitur ostendit versum illum indignatione commoto temere excidisse, itaque absurdum esse ex illo doctrinam conflare, quasi jusjurandum liceret violare. Qua re monere volo quantis implicaremur erroribus, si perdito dramate haec tantum verba excerpta nota haberemus, quemadmodum et alibi et apud Schol. Aristoph. (ad Ran. 1470) leguntur![1])

Ut igitur accedamus ad fragmenta dramatum perditorum, ante omnia offendit senarius ex Aeolo servatus (fr. 19):

τί δ' αἰσχρὸν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

Cui Antisthenes a Plut. (Mor. 33 C; a Stob. V. 82 Plato) respondisse fertur:

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ [2]).

Versus ille, quocum optime comparari potest sententia quam in Phoenissis Eteocles injustitiae suae praetendit (499):

---

1) Vel sic tamen in fabula superstite versus ille plurimos homines offendit et antiquos et recentiores, iisque pravae institutionis sophisticae fructus perniciosus visus est. Videor mihi erroris fontem repperisse. Si Euripides eodem sensu scripsisset: „at inscius eram quid jurarem", neminem, opinor, offendisset; sed forma concinna cum antithesi mentis et linguae artis rhetoricae admonens effecit ut sententia illa videretur accurate esse perpensa et quasi certum dogma enuntiata. In hac re plurimum ab histrione pendet. Qui si sedate, lente, accurate pronuntiaverit, omnes spectatores in errorem inducet; verum si cum indignationis ardore concitato motu ac voce verba fuderit, veram poetae sententiam recte interpretatam omnibus probabit. Mutatis mutandis idem in lectionem fabulae cadit.

2) Cf. apud Eur. ipsum Andromach. 244: κἀκεῖ τά γ' αἰσχρὰ κἀνθάδ' αἰσχύνην ἔχει.

εἰ πᾶσι ταὐτὸ καλὸν ἔφυ σοφόν θ' ἅμα,
οὐκ ἦν ἂν ἀμφίλεκτος ἀνθρώποις ἔρις·
νῦν δ' οὔθ' ὅμοιον οὐδὲν οὔτ' ἴσον βροτοῖς,
(πλὴν ὀνομάσαι, τὸ δ' ἔργον οὐκ ἔστιν τόδε), [1])

videbatur manasse ex improbitate sophistarum, qui scilicet omnes boni malique terminos in uniuscuiusque libidine posuissent. Verum neque in hac re videtur mihi ad disciplinam sophisticam confugiendum esse, ex ipsa natura explicatio optime petitur. Nam hominibus peccantibus, non quidem iis qui ad ultimam nequitiam delapsi sint, sed qui vehementi et invicta quadam voluptate opprimantur [2]), nulla excusationis forma melius convenit quam haec, quam Germani vocant: »Sophistik der Leidenschaft". Mirum quam subtiles argutias in his etiam stultissimi excogitent; quis nostrum numquam callidis illis ratiocinationibus conscientiam suam sopivit aliorumque reprehensiones refutavit? Quare huiusmodi excusationes, pariter ac eae quibus deorum exemplum vel vis ostentatur [3]), doctis indoctisque aptae, mihi videntur ad naturam ipsam expressae esse; modo forma concinna arte rhetorica suppeditata est. Utrum damnandae sint, si mores spectes, id videtur non separatim, neglectis fabularum argumentis (de quibus mox erit disserendum), dijudicari posse. Hoc loco tamen iterum monebo plurimum differre, utrum in actione concitata vel acri altercatione celeriter pronuntientur, statim in oblivium abiturae, an quasi placita constantia et stabilia excerptae et in omnium saeculorum memoriam traditae legantur.

»At si ex ipsa rerum natura petitae sint neque e sophistarum disciplina desumptae apud reliquos quoque tragicos inveniri debent". Verum illorum tragoediis vix umquam agebantur homines voluptatibus oppressi, ita ut istis sententiis rarissimus tantum esset locus. Nec prorsus absunt; apud Aeschylum et Sophoclem Clytaemnestra mariti caedem modo justitiae specie probare studet Iphigeniae immolationem praetendens, modo

---

1) Versus mihi suspectus.

2) Macarei et Canacae incestus amor dramatis Aeoli argumentum erat.

3) Nonne hodie quoque pueri vitiorum suorum culpam excusare conantur praetentis parentum vel aliorum hominum venerandorum vitiis?

auctoribus divinis ascribit et omnino utitur λόγοις καλοῖς ἐπ' ἔργοις αἰσχροῖς (Aesch. Ag. 1412 sqq., 1475 sqq., Cho. 910. Soph. El. 516 sqq.). [1])

Videamus nunc qua ratione Euripides ipse callidas illas excusationes notet et castiget. De ratione, qua refutantur ii qui in deos culpam conferunt, supra egimus (vid. pg. 112 sq.).

Hecuba in cogn. fabula, postquam Polymestor coram Agamemnone facinori suo honestam speciem praetendit, sic orditur (1187):

Ἀγάμεμνον, ἀνθρώποισιν οὐκ ἐχρῆν ποτε
τῶν πραγμάτων τὴν γλῶσσαν ἰσχύειν πλέον.
ἀλλ' εἴτε χρήστ' ἔδρασε, χρήστ' ἔδει λέγειν,
εἴτ' αὖ πονηρά, τοὺς λόγους εἶναι σαθρούς,
καὶ μὴ δύνασθαι τἄδικ' εὖ λέγειν ποτέ.

Postquam Iason callida oratione defendere conatus est se Medeam multo maioribus beneficiis ornasse quam ab illa acceperit, respondet haec (580):

ἐμοὶ γὰρ ὅστις ἄδικος ὢν σοφὸς λέγειν
πέφυκε, πλείστην ζημίαν ὀφλισκάνει.

et sic saepius [2]); omnino eadem verborum et argumentorum copia redarguuntur malefici, verusque rerum status exponitur. Usus artis rhetoricae ergo quum accedat tantum ad res ad naturam et veritatem expressas, itaque si quando pravis consiliis serviat, in se ipso efficacissimum morbi remedium habeat, — quamvis arti tragicae valde nocuerit, moribus parum offecisse videtur.

Sed non semper malefici honestam speciem facinoribus suis praetendunt; frequenter quoque profitentur se prave egisse verum culpam transferunt in invictam vim naturae. Exempla nonnulla affert Alcinous Isag. dogm. Plat. c. 24: ὁρᾶται δέ γε ἐπὶ μὲν τῆς Μηδείας ὁ θυμὸς λογισμῷ μαχόμενος·

---

1) Verisimile est eidem generi adnumerari posse senarios tres e Sophoclis Phaedra servatos, cuius furor excusari videtur (fr. 611):

αἴσχη μέν, ὦ γυναῖκες, οὐδ' ἂν εἷς φύγοι
βροτῶν ποθ', ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσῃ κάκα.
νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν.

2) Cf. Hipp. 927 sqq., Io 832 sqq., Phoen. 469 sqq., 527 sqq., Alex. fr. 62, Antiop. fr. 205, Archel. fr. 255.

(vs. 1078) καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά,
θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

ἐπὶ δὲ τοῦ Λαΐου τὸν Χρύσιππον ἁρπάζοντος ἐπιθυμία λογισμῷ μαχομένη· λέγει γὰρ οὕτως·

αἰαῖ, τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακόν,
ὅταν τις εἰδῇ τἀγαθόν, χρῆται δὲ μή. (Chr. fr. 838).

Antea enim Laius dixerat:

λέληθεν οὐδὲν τῶνδέ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς,
γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἡ Φύσις βιάζεται. (Chr. fr. 837) [1]).

i. e.: Video meliora proboque, deteriora sequor.

Ex incerta tragoedia a variis scriptoribus refertur hic trimeter jambicus (fr. 912):

ἡ Φύσις ἐβούλεθ', ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει.

qui in memoriam reducit distinctionem naturae et legum, quam quibusdam sophistarum placuisse vidimus. Potuit quidem Euripides ipsorum verborum antithesin ab Hippia vel alio quopiam sophista mutuari, res tamen ipsa quoque facile eam poetae suppeditare potuit. Haud dubie enim Euripides saepe observavit vehementem aliquam animi commotionem leges praeceptaque moralia nihil curare neque ullo modo iis coërceri posse, quemadmodum Diodotus apud Thucydidem (III, 45,7) ait: ἁπλῶς τε ἀδύνατον καὶ πολλῆς εὐηθείας, ὅστις οἴεται τῆς ἀνθρωπείας Φύσεως ὁρμωμένης προθύμως τι πρᾶξαι ἀποτροπήν τινα ἔχειν ἢ νόμων ἰσχύι ἢ ἄλλῳ τῳ δεινῷ.

Quod tantum naturae tribuit, ut homines improbiores ad eius vim provocare faciat ut impune voluptatibus suis indulgeant, id quidem per se non noceat, dummodo ne velut Callicles ei naturae semper obtemperandum esse censeat [2]). Tum alibi clare indicat eam etiam rectissime factorum auctorem esse posse. In Oreste (v. 126 sqq.) Electra observans Helenae animum toto bello Troiano nihil mutatum vel emendatum esse, siquidem etiam nunc cirrum depositura in Clytaemnestrae tumulo cautissime abscindat

---

1) Cf. Hipp. 380 sqq., Suppl. 486 sqq., Archel. fr. 259.

2) Hipp. vel. fr. 436:

ἔγωγέ Φημι τὸν νόμον γε μὴ σέβειν
ἐν τοῖσι δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον.

quamquam de naturae vi nihil habet, tamen impudenter legum (morumque?) auctoritatem infringit, sed ab improbiore homine pronuntiatum esse veri simillimum est, cf. fr. 437 et Soph. Creus. fr. 323.

ne crinium decorem deformet [1]), tamen haec verba observationi suae praemiserat:

ὦ Φύσις, ἐν ἀνθρώποισιν ὡς μέγ' εἶ κακὸν,
σωτήριόν τε τοῖς καλῶς κεκτημένοις.

In Bacchis Tiresias ait: non Dionysus quidem mulieres cogit castimoniam servare; sed:

ἐν τῇ Φύσει τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν ἐς τὰ πάντ' ἀεί.

Plurimum igitur tragicus noster et in bonam et in malam partem ingenio hominum tribuit. Itaque quum voluptatibus oppressi eius vim praetendant suis vitiis, nihil faciunt nisi quod ex ipsa materia sequitur, neque hoc nomine poeta reprehendendus est.

Mire quoque offendit nonnullos Eteocles in Phoenissis, qui palam profitetur, se nihil magis amare quam tyrannidem, neque quidquam praetermissurum esse ne eam perdat (503 sqq.):

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Cum autem a poeta mores rationesque Eteoclis minime commendentur, tum ne hic ipse quidem eas defendat quasi virtutem naturalem viroque dignissimam, quemadmodum Callicli placuisse vidimus, ego neque in hac re video quid reprehendendum sit [2]).

Verum jam videamus argumenta fabularum. Euripides, ut supra exposui, hac re plurimum differt a tragicis superioribus quod raro repraesentat perpessionem doloris calamitatibus externis allati, sed plerumque animi perturbationibus suscepti, cum actionibus affectibusque quae hinc sequuntur. Quo in genere quum amor et frequentissimas et vehementissimas calamitates efficiat, plurimae Euripidis fabulae tractant aut nituntur amore honesto aut illicito, mythis antiquis illustrato. E dramatis superstitibus soli Hippolyto inhonesta voluptas, Alcestidi vero, Andromachae, Medeae argumento sunt amores conjugales et sancti.

Inter dramata perdita, quatenus e variis indiciis colligitur,

---

1) Uno hoc lineamento summa arte poeta omnium Helenarum indolem notavit.

2) Plutarchus (Mor. pg. 18 D, E) hanc orationem turpem quidem esse sed Eteocli convenire dicit, turpique viro tributam esse ipsi poetae improbatam.

honesto amore nituntur Andromeda Alcmeon Psophidensis Protesilaus [1]); inhonesto Hippolytus velatus Aeolus Cercyon (sive Alope) Antiope Auge Danae Cressae Cretenses Melanippe sapiens Peleus Stheneboea Phoenix. [2]) Quaeritur an huiusmodi materia in pulpito exposita moribus Atheniensibus, quos leves fuisse scimus, nocere potuerit ideoque improbanda sit.

Viri Athenienses videntur non solum caelibes sed etiam mariti nullo cum probro vel dedecore amori pellicum et heterarum indulsisse, aut hi certe hoc facientes in reprehensiones non graviores incurrisse quam apud nos caelibes. Sed quam sibi mariti Athenienses veniam petebant non dabant vicissim; nam filias et uxores in domuum recessu ab omni virorum congressu semotas severissima custodia circumdabant, ne castimoniam projicerent. Mulieribus igitur nullus vir amandus fuit nisi cui a parentibus essent datae. In illis autem tragoediis prodibant virgines vitiatae, matronae alienum amorem petentes, neque eae ancillae vel feminae humili saltem loco ortae, verum regum filiae. Itaque, ut taceam turpissimos furores in Aeolo et Cretensibus exhibitos, verendum erat ne mulieres, quum frequenter spectarent feminas nobiles a viris pellectas aut sui amoris vi corruptas, ipsae quoque naturae impetu indulgentes facilius ad amores illicitos declinarent [3]). Nam ubi alicuius vitii culpa minuta et frequentia exposita est, protinus quoque dedecus sublatum est.

Tum viris quoque illae fabulae nocere poterant. Nam quamvis iis liceret voluptatibus frui, tamen ignominiosum erat tantum huic rei tribuere, ut animus perderet aequitatem facultatemque sa-

---

1) Andromedam beluae expositam liberat Perseus necatisque Cepheo patre Phineoque amatore puellae, qui fidem fregissent, uxorem ducit. Alcmeonis Psophidensis argumentum erat invidia muliebris qualis est Medeae. Protesilai occisi uxor amore victa ultro sibi necem infert.

2) Hippolytus velatus eundem tractabat mythum quem H. coronatus. Pariter Peleo Stheneboeae Phoenici suberat amor muliebris a juvenibus propter pudicitiam repudiatus. Alope Antiope Auge Danae Melanippe virgines a diis vitiatae parentibus poenas dant; similiter Aërope in Cressis rem habens cum patris ministro. Aeoli argumentum erat Macarei sororisque Canacae amor incestus, Cretensium furor Pasiphaäe taurum depereuntis.

3) Aristophanes sane non id argumentatur. Roganti Euripidi in Ranis (1049) quid civitati nocuerint Stheneboeae suae Aeschylus respondet:

ὅτι γενναίας καὶ γενναίων ἀνδρῶν ἀλόχους ἀνέπεισας
κώνεια πιεῖν, αἰσχυνθείσας διὰ τοὺς σοὺς Βελλεροφόντας.

tisfaciendi ceteris officiis humanis. Ubi igitur amor tam gravis, tam vehemens proponebatur ut homines ratione privaret magnorumque malorum causa existeret, periculum erat ne quasi *πρᾶγμα σπουδαιότατον* etiam virorum animos plus aequo occuparet.

Quibus reputatis assentior Aeschylo Aristophaneo, ubi Euripidem ostendentem se mythos illos non excogitasse sed traditos recepisse his verbis refellit (Ran. 1053):

*ἀλλ' ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητήν,*
*καὶ μὴ παράγειν μηδὲ διδάσκειν,*

atque addo multa quae sine noxa legi possint tamen in scenam promta nocere, quia

segnius irritant animos demissa per aures,
quam quae sunt oculis subjecta fidelibus.

»At non tegendo vulnera sanantur", Hartungus adversatur, id scilicet spectans quod Euripides voluptates illas illicitas plerumque exitium adducere facit. Hoc nomine poeta fortasse excusari potest, — Euripides profecto noluit mores depravare, licet non satis diligenter fortasse quaesiverit num nocere possent illae fabulae, — verum poemata non excusantur; quippe in rebus Venereis vulnera tegi et celari praestat quam patefieri. Nam furoris repraesentatio vera et ad naturam expressa hoc differt ab aliorum flagitiorum repraesentatione quod non semper spectatores deterret ne in idem incurrant, verum saepe capit et delinit, quoniam proficiscitur ab affectione omnium animantium naturae propria. Malum igitur, quia foedum non est sed potius dulce videtur, patefactum contagione facile serpit. Adde quod calamitatum successione spectatores non satis deterrentur, quum tacite sibi quisque persuadere soleat se in simili re ratione et prudentia eas facile evitaturum fuisse.

Quibus consideratis Aristophani consentiens non dubito concludere argumenta illa Venerea, tot fabulis tractata, amplam habuisse materiam ad corrumpendos etiam Atheniensium mores [1]).

---

Comicum hac in re jocari verisimile est. Suspicor illo tempore matronam unam vel alteram mortem sibi conscivisse, eumque huius rei culpam jocose in fabulas Euripideas conferre; velut paulo post, ubi reges Euripidei, qui pannis vestiti prodeunt, effecisse dicuntur ut cives divites vestibus sordidis paupertatem simulantes liturgias detrectarent, haud dubie causam fictam subdidit rei non fictae sed verae.

1) Ixionis mores (in cogn. fabula) narrantur (Plut. Mor. pg. 19 E) a spectatoribus

Sententiae vero illae audaciores, quas supra recensui, per se ipsas judicari non possunt, sed quoniam in personarum mores optime cadunt, earum ratio ita cum fabularum materia copulata est ut simul cum hac aut rejiciendae aut conservandae sint.

### § 6. *Quatenus Euripides mores emendaverit.*

Ad finem perduximus secundam partem, qua quaerebatur qua ex parte Euripides a vulgaribus Graecorum rationibus cum morum detrimento discessisse habendus sit; superest ut indagemus quid vitae severiori congruens melius et sanctius statuerit.

Ut quam maxime haec continuentur iis rebus quas proxime tractavi, initium faciam ab exemplis castimoniae, lasciviae illi fere contrariis. In iisdem fabulis, quibus mulierum mores depravati multos offendunt, juvenes prodeunt, qui nullis blanditiis in amorem inhonestum pelliciuntur. Hippolytus, Bellerophon (in Stheneboeae trag.), Peleus, Phoenix pariter respuerunt mulierum illecebras. Ostentatio frequens jam declarare videtur tragicum hanc virtutem magni fecisse; tum praesertim hoc, quod eius gratia Phoenicis mythum mutavit. Homerus enim narrat eum matris jussu cum patris pellice concubuisse, Euripides vero eum moribus integrum inducit [1]).

Studium celebrandi temperantiam et castitatem etiam observari potest in partibus operarii, qui Electram in matrimonium acceptam virginem conservat, propter pudorem veritus (v. 45)

*ὀλβίων ἀνδρῶν τέκνα*
*λαβὼν ὑβρίζειν, οὐ κατάξιος γεγώς.*

Quam absurda illa abstinentia spectatoribus videri deberet poetam, opinor, non fugit; eo enim pertinere videntur hi versus quos *αὐτουργὸς* recitat (50):

---

magnopere vituperati esse, quippe impii et impudentes. Poeta respondit ideo se eum non a scena abduxisse priusquam rota cruciaretur. (Similis res refertur a Seneca epist. 115). Quantum e mythologia colligi potest suspicor fabulam jure improbatam esse, poetam vero potius artem violasse quam mores. Poena hominis prorsus scelesti, qualis Ixion fuit, non videtur materia digna quae tragico pulpito geratur.

Idem nomen fabulae etiam occurrit inter Aeschyli dramata perdita.

1) Il. IX 452: *τῇ πιθόμην καὶ ἔρεξα, πατὴρ δ' ἐμὸς αὐτίκ' ὀισθεὶς*
*πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς* κ. τ. λ.

Schol. tradunt Aristodemum legisse *ο ὐ πιθόμην ο ὐ δ' ἔρξα*, „*καὶ Εὐριπίδης δὲ ἀναμάρτητον εἰσάγει τὸν ἥρωα ἐν τῷ Φοίνικι*". Verum Aristodemi lectio non congruit cum patris exsecratione.

ὅστις δέ μ' εἶναί φησι μῶρον, εἰ λαβὼν
νέαν ἐς οἴκους παρθένον μὴ θιγγάνω,
γνώμης πονηροῖς κανόσιν ἀναμετρούμενος
τὸ σῶφρον ἴστω, καὐτὸς αὖ τοιοῦτος ὤν [1]).

Addam ultimos versus fr. (342) e Dictye a Stob. (Ecl. I, 9, 4, 272) servati: καὶ χρῆν δὲ τοῖς βροτοῖσι τόνδ' εἶναι νόμον,
τῶν εὐσεβούντων οἵτινές γε σώφρονες
ἐρᾶν, Κύπριν δὲ τὴν Διὸς χαίρειν ἐᾶν.

Haec omnia satis declarant Euripidem viris commendasse castimoniam non vulgarem. Cuius virtutis ratio procul dubio colligata erat cum ritibus Orphicis, quorum saltem Hippolytus Euripideus sedulus erat sectator (v. 24 sq., 951 sq.) [2]). Orphica disciplina universe id agebat, eo tendebat ut corpus humanum integrum servaretur a multifariis rebus quibus pollui credebatur, velut cibo animantium, caedibus [3]), vestibus laneis cet. Itaque credere par est, quamvis non perspicue tradatur, eam etiam jussisse concubitum quam minime fieri, et fortasse vitam caelibem omnium sanctissimam judicasse. Ethica Pythagorea, cui cum praeceptis Orphicis maxima erat cognatio, idem spectabat [4]).

Verum operae pretium esse videtur quaerere, qua ratione effi-

---

1) Helena quoque, apud Euripidem castissima, Theoclymeni matrimonium aspernatur; similes videntur in Dictye fuisse Danaäe partes, cf. Apollod. II. 4. 1 et 3.

2) Carne quoque abstinebat (v. 980 sq.). Vide ad quam absurdas res poetam detrudat studium transferendi in heroas veteres sui temporis doctrinas; venatoremne carne abstinere!

3) Aristoph. Ran. 1032:
Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι.
cf. Hor. art. poet. 391 sq.

4) Pythagoras traditur dixisse tunc esse concumbendum cum te ipso inferior fieri velis, Crotoniatibusque persuasisse ut pellices dimitterent.

A Porphyrio (de abst. 419) servatur fragmentum (475*a*) ex Euripidis Cretensibus, vitae mysticae laudes continens; v. 16 sqq. leguntur haec:

πάλλευκα δ' ἔχων εἵματα φεύγω
γένεσίν τε βροτῶν, καὶ νεκροθήκης
οὐ χριμπτόμενος τήν τ' ἐμψύχων
βρῶσιν ἐδεστῶν πεφύλαγμαι.

Suspicio mihi nata erat φεύγω γένεσιν βροτῶν significare: abstineo a procreatione liberorum, sed diligentius cogitanti probabilior visa est haec interpretatio: evito puerperia sive partus recentes, i. e. caveo ne adsim vel attingam, quod praeceptum in rebus mysticis satis vulgatum fuisse videtur.

ciatur ut intelligamus eundem poetam repraesentasse perturbationes et affectiones, quae vel Strepsiadem Aristophaneum horrore afficerent, rursusque proposuisse et commendasse pudicitiam singularem et prope inauditam. Hac quoque in re nobis ante oculos ponenda est ambigua illa conditio supra adumbrata, in qua novae rationes vivendi erant quaerendae. Nam in superiore aetate, quum homines sine dubitationibus et disceptationibus vulgares sequerentur notiones ethicas, multa, ut fit, permissa erant et palam fiebant, quae postea apud homines severiores in reprehensionem incursura erant; illicita vero omnes detestabantur et contemnebant. At postquam evanescente morum antiquorum auctoritate boni malique termini coepti sunt labefactari, peccata et peccatores, ut solet, non amplius contemtum et horrorem movebant, sed digni videbantur de quibus cogitaretur et quibus cura adhiberetur, mox miserationem movebant, unde ad excusationem brevissimus est transitus. Sic Euripides, quamvis ipse procul dubio illam viam severioris virtutis probaverit, cuius exempla proxime recensuimus, tamen paene ignoscebat iis qui vehementibus perturbationibus sollicitati licentiae viam sequerentur, quoniam et in colenda virtute et in pravarum rerum appetitu naturae cuiusque hominis maximam tribuebat vim.

Transeamus ad reliqua exempla virtutis sublimis et excelsae. Euripides unus tragicorum saepissime fabulis celebravit mortem praeclaram eorum, qui se pro patriae propinquorumve salute devoverent. Plerumque secundum aliquod oraculum se ipsi immolandos offerunt. Hac ratione Macaria in Heraclidis efficit ut Athenienses vincant Argivos et cognatos suos ab horum insidiis in perpetuum vindicat. Eodem modo Menoeceus in Phoenissis Thebanos servat. Alcestis ut marito suo longiorem vitam producat eius vice ultro in Orcum descendit. Imprimis notanda est Iphigenia (in Iph. Aul.), tenera virgo, quae ne sua causa bellum Troianum intermittatur neve alii in capitis discrimen adducantur, immolationi se ultro offert[1]). Quin etiam ad mortem vadens paeanem cantat Dianae, ipsi illi deae cuius jussu mactabitur, quemadmodum olim martyres Christianae Deum laudantes rogum

1) In Iph. Taur. Orestes cavens ne amicus sua causa interficiatur se ipse morti offert.

conscendebant. Nonnulla autem Iphigeniae verba digna sunt quae ipsa hoc loco apponantur. Achillem, qui a suis militibus vim acceperat, cum iis persuadere vellet ne virginem immolarent, hisce monet (1419): σὺ δ', ὦ ξένε,

μὴ θνῆσκε δι' ἐμὲ μηδ' ἀποκτείνῃς τινά,

quae mihi humanitatem tam singularem videntur testificari ut ad Christianorum praecepta moralia propius accedant quam ad Graecorum [1]). Generosissimum quoque est monitum hoc, quod eadem virgo discedens dat matri, roganti quid sibi Argis gratificari possit (1455):

πατέρα τὸν ἀμὸν μὴ στυγεῖ, πόσιν γε σόν,

noli patrem meum, maritum sc. tuum odio habere! Quod quamvis poeta non excogitasset nisi monitus rebus quae erant futurae (ut ostendit responsum Clytaemnestrae: δεινοὺς ἀγῶνας διὰ σὲ δεῖ κεῖνον δραμεῖν), tamen documentum est animi humanissimi quod hoc loco huic personae id tribuit.

In Hippolyto exstat exemplum singularis magnitudinis animi. Juvenis postquam equis tractus fuit, quamvis doloribus confectus tamen misero patri dicit se eius magis miserere quam sui ipsius (1409):

στένω σε μᾶλλον ἢ 'μὲ τῆς ἁμαρτίας [2]).

Mox a Diana jussus ei prorsus ignoscit (1449). In literis Grae-

---

1) Quid his velim paucis explicandum est, quia mea verba perversae interpretationi obnoxia sunt. Video enim multa a viris antiquis praeclare dicta ab aliis, tamquam praeceptorum Christianorum significationem quandam sive divinationem, ad hanc religionem referri, ab aliis vero huic denegata soli Graecorum ingenio vindicari, et inde nasci aliquando satis acre certamen. Quod mihi tamen plerumque inutile esse videtur. Poetae enim et philosophi aliquando enuntiare solent sententias sublimes praeceptaque continentes, quae posterioribus demum temporibus in cunctorum hominum animos penetratura sunt. Illae sententiae autem saepe etiam ipsorum auctorum animis nondum velut leges certae et constantes obversantur. Semel tantum, adjuvante loci et temporis opportunitate, in eas inciderunt; rebus mutatis exstinguitur illa lux et exinde agunt et loquuntur quasi numquam ita locuti essent. Hanc ob causam neque mihi rem acu tangere videntur, qui antiquorum sententias sparsas religioni Christianae vindicent, quoniam non certae legis vim acceperunt; neque tamen adversarii me judice recte ea omnia sapientiae antiquae et paganae vindicant, quoniam temporibus Christianis demum inter praecepta moralia, quae semper et in omnes valeant, recepta sunt.

Itaque Iphigeniae quoque verba supra apposita velim habeantur pro sententia, quae cum huius tantum loci opportunitate sit nata, humanitate quidem Graecorum praecepta moralia superet, nec tamen quasi lex certa et constans enuntiata sit.

2) Conferri potest doctrina Platonica: satius est injuriam accipere quam facere.

cis vix alium quempiam locum invenias, in quo quis injuriam acceptam alteri condonet.

Etiam ex Oreste fabula quaedam excerpenda sunt. Orestes Menelao dicenti (1604): ἁγνὸς γάρ εἰμι χεῖρας respondet: ἀλλ' οὐ τὰς φρένας [1]), quae in memoriam redigunt excelsum Democriti praeceptum: ἀγαθὸν οὐ τὸ μὴ ἀδικέειν ἀλλὰ τὸ μηδὲ θέλειν. Idem Orestes antea Menelao roganti, qualis morbus eum conficeret, responderat (396):

ἡ ξύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.

Haec minime levia sunt, quoniam ostendunt apud Euripidem Orestem facinoris sui conscientia cruciari; quacum Furiae nihil commune habebant, utpote quae non in hominum animis versarentur sed externa specie eos terrerent, quapropter ipse Orestes (400) eas a dolore de facinore suo diserte segregat. Etiam in Electra terretur imagine matris supplicis antequam Dioscuri aperuerunt eum a Furiis agitatum iri. Hac igitur in re Euripides a tragicis superioribus discessit idque convenienter suis opinionibus. Apud eum enim tam exigua erat deorum auctoritas ut Orestes, etsi ab Apolline disertis verbis matrem occidere jussus erat, tamen gravibus sollicitaretur dubitationibus (cf. supra pg. 31 et 35); itaque consentaneum est eum facinore perpetrato non totam culpam in deum conferre, et non solum Furiis sed etiam propria sceleris conscientia exagitari. Labante deorum auctoritate crevit humanae conscientiae auctoritas.

Eodem fortasse pertinet sententia e Melanippe servata (vid. pg. 116), quae affirmat vitia humana non in tabulis inscripta et inspecta a Jove puniri, sed Dicen prope nobis instare si bene intueri velimus.

Praeclara quoque sententia de sacris faciundis in Orionis florilegio (II. p. 55. 20) ex incerta tragoedia superest haec (fr. 940):

εὖ ἴσθ', ὅταν τις εὐσεβῶν θύῃ θεοῖς,
κἂν μικρὰ θύῃ, τυγχάνει σωτηρίας,

quae confirmatur ultimis verbis fragmenti Danaäe (329) ap. Stob. (97. 14), quibus aliquis dicit saepe se videre:

θεοῖσι μικρὰ χειρὶ θύοντας τέλη
τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέρους.

---

1) Cf. Hipp. 317: χεῖρες μὲν ἁγναί, φρὴν δ' ἔχει μίασμά τι.

Praeterea vituperat severitatem et duritatem erga infelices (Inus fr. 410 sq.), commendat misericordiam.

§ 7. *Quid de summa virtute senserit.*

Hae quidem sententiae singulae excelsae sunt, verum qualis igitur poetae summa virtus est visa? Hanc ipse disertis verbis non definivit. Supersunt sane apud Stob. (flor. I. 8) ex Antiopa haec (fr. 219):

τρεῖς εἰσιν ἀρεταί, τὰς χρεών σ' ἀσκεῖν, τέκνον,
θεούς τε τιμᾶν τούς τε θρέψαντας γονεῖς
νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος· καὶ ταῦτα δρῶν
κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.

Verum his potius singulae quaedam virtutes enumerantur neque explicatur universae virtutis ratio. Tum valde ambiguum est num totam poetae sententiam plane exprimant; quia enim redolent tempora antiqua, verisimile est Zethum ea pronuntiasse, quem scimus illorum temporum laudes opposuisse otioso cultui Musarum a poeta per Amphionis personam laudato. Verum multis locis Euripides expressit virtutem esse maximi pretii: summum bonum eam dicit (fr. inc. 1017), et imprimis hoc nomine laudat quod emi non potest, neque a genere pendet (Meleag. fr. 531). Nam probitas praestat nobili ortu (fr. 9 Aeol.); justus vir vere est εὐγενής, injustus vero, etiamsi eius pater Jove nobilior sit, δυσγενής videtur (Dict. fr. 345). In malis hominibus nulla est nobilitas sed in bonis tantum (Alex. fr. 54); neque divitiae sine virtute ullius sunt pretii.

Ἀρετή autem apud Graecos fuit perfectio illarum facultatum quae virum faciunt agendo strenuum et justum, cogitando subtilem; neque ea in homine otioso esse potest sed in cive tantum, qui cum civium societate conjunctus vivit. Quamquam autem in illis sententiis nihil inest, cur non talem virtutem etiam Euripides sibi proposuerit, puto tamen aliter se rem habere. Omnia quae nuperrime enumeravi exempla virtutis excelsae: castitas singularis, mors petita non solum pro patria sed etiam pro singulorum hominum salute, injuriae condonatae, praecepta quae non solum facta sed et cogitata sancta esse jubent cet., mihi videntur esse indicia rationum severiorum et religiosiorum, quas

poetam, cum morum priscorum auctoritas dissoluta esset, in ancipiti illo bivio sibi eligisse supra disputavimus. Si praeterea reputamus eum vitam otiosam potius laudasse quam publicam, non inepta mihi videtur suspicio etiam virtutem ei obversatam esse diversam ab antiqua illa ἀρετῇ, augustiorem scilicet eandemque angustiorem, morum sanctitatem magis spectantem quam virtutem civilem, omnino propius accedentem ad recentiorum saeculorum humanitatem.

### § 8. *Quem optimum virtutis fontem duxerit.*

Una restat quaestio ad virtutem pertinens. Quae Euripidi optima visa est virtutis via?

Quamquam ipse poeta hanc quaestionem non diserte sibi proposuisse videtur, nolo tamen silentio eam praeterire, quia quodammodo conjuncta est cum altera illa quaestione de eius familiaritate cum Socrate.

Quorum virorum consuetudo indicatur jocis comicorum, qui philosophum poetae in tragoediis componendis opem tulisse ferunt, et a posterioribus scriptoribus [1]) ita ornatur ut poeta philosophi discipulus fuisse vel saltem magnam doctrinae copiam ab eo didicisse dicatur. Quatenus hoc verum sit, cum deficiant testimonia certa, sola doctrinarum comparatione dijudicari debet. Nullum autem est placitum saepius disertiusque a Socrate enuntiatum quam virtutem esse scientiam rerum bonarum et malarum, et studio igitur et disciplina comparari. Euripidem vero vidimus frequentissime demonstrare institutionem natura multo inferiorem esse adversusque eam parum valere. Cuius sententiae exemplis pg. 156 sqq. allatis duo addam.

In Phoenice dixit aliquis (Stob. flor. 90, 6; Dind. fr. 807):

μέγιστον ἄρ' ἦν ἡ φύσις· τὸ γὰρ κακὸν
οὐδεὶς τρέφων εὖ χρηστὸν ἂν θείη ποτέ.

Phaedra (Hipp. 380 sqq.) ait:

τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν
οὐκ ἐκπονοῦμεν δ', οἱ μὲν ἀργίας ὕπο,
οἱ δ' ἡδονὴν προθέντες ἀντὶ τοῦ καλοῦ
ἄλλην τιν'.

---

1) A Dionys. Halic. in loco allato pg. 44 not., et a patribus ecclesiasticis.

Nemo profecto contendet poetam talia didicisse a philosopho cui sola ignoratio rerum omnis mali causa videretur.

Sed aequum est diversa quoque effata in partes vocare. Adrastus in Supplicibus (913): ἡ δ' εὐανδρία, inquit,

ἠδακτὸν, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ', ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.

Una igitur ex virtutibus discenda esse diserte dicitur; ad quam eiusdem dramatis etiam v. 510 pertinet:

καὶ τοῦτό τοι τἀνδρεῖον, ἡ προμηθία.

Quae Socraticis placitis prorsus similia sunt, siquidem hic toto sermone, qui Laches inscribitur, nihil demonstrare conatur nisi fortitudinem esse scientiam rerum utilium et nocentium et disciplina igitur comparari. Has autem duas sententias Euripideas, cum nullis aliis confirmentur sed potius pugnent cum eius placitis, verisimile est e doctrina aliena desumptas esse. Nihil obstat quominus cogitemus eum aliquando cum Socrate sermocinatum sententiam ab hoc viro enuntiatam inseruisse operi, quo tunc temporis occupatus esset. Saepius jam vidimus Supplicum drama variis rebus ab ingenio Euripideo aliquantum discrepare.

Sed etiam alia sunt quae disciplinam Socraticam sapere videntur. Ex incerto dramate Athenaeus (XIII. pg. 561 *a*) canticum servavit (fr. 889), cuius hoc est initium:

παίδευμα δ' Ἔρως σοφίας ἀρετῆς
πλεῖστον ὑπάρχει.

i. e. amor optimus est sapientiae et virtutis magister. Pariter chorus in Medea (845 sq.) ἔρωτας vocat: τᾷ σοφίᾳ παρέδρους, παντοίας ἀρετᾶς ξυνεργούς, quibus locis igitur non solum doceri dicitur virtus, sed ante omnia doceri ab amore.

Possumus ergo suspicari Euripidem amorem illum spectare Socraticum ad mentes hominum pertinentem, cupidumque, ut Socratis verbis utar (Plat. symp. pg. 207 E) »τῆς γεννήσεως καὶ τοῦ τόκου ἐν τῷ καλῷ". Neque hoc ulla re pro certo redargui potest, verumtamen quoniam amor ille et virtutis institutio philosophica verbis Euripideis non perspicue significantur, et ne constat quidem qualis amor, utrum conjugalis an puerorum an amicorum cogitandus sit, praestat rem in medio relinquere. Si autem reputamus ad quam praeclaras actiones apud Euripidem amor vulgaris, cum conjugalis tum fraternus, Alcestidem

Euadnen Electram Antigonam instigaverit, non opus esse videtur ut illam amoris disciplinam ab aliqua doctrina philosophica repetamus.

Quibus perpensis parum mihi a vero aberrare videor si statuo Euripidem censuisse unicuique ad colendam virtutem ingenium plurimum valere, eumque semel tantum dixisse virtutem quandam institutione comparari. Ergo neque in hac re neque in aliis indicari potest quem fructum e philosophia Socratica perceperit; sequitur ut de ipsa quoque eorum consuetudine judicium certum ferri nequeat.

---

# CAPUT III.

## DE VITA PUBLICA.

### § 1. *De Cultu ingenii et corporis.*

Breviter supra (pg. 20) annotavi Euripidem corporis cultum ingenii praestantiae multum posthabuisse. Cuius sententiae testimonia quaedam afferenda sunt. Maxime conspicui sunt duodetriginta senarii ex Autolyco excerpti ab Athen. (X pg. 431 *c*), quibus plaudente hoc ipso athletarum genus omnium rerum summum malum Graeciae afferre dicitur. Nihil enim corporis exercitationes civitati prodesse; absurdum esse Graecos harum causa congregari athletasque coronis ornare, quum potius viri justi et sagaces, qui lites et discidia componant, honorandi essent. Praeterea in duabus fabulis tempore parum distantibus poeta proposuit imagines virorum forma despectorum, virtute conspicuorum. In Oreste enim descripsit civem forma et conditione humillimum, ingenio praestantissimum, in concione breviter plane sapienter verba facientem (v. 917—929). In Electra produxit operarium illum, hominem novum in pulpito tragico, virum eximiae σωφροσύνης, quem laudans Orestes dicit (385 sqq.) ingenio homines aestimandos esse, corpora vero mente destituta nonnisi fori esse ornamenta (*ἀγάλματ' ἀγορᾶς*); non enim brachia robusta melius quam infirma hastam excipere, verum id totum positum esse in indole et animi fortitudine. Amphion in Antiopa vitam suam

Musis deditam a vituperatione fratris strenuam vitam laudantis defendit, dicens sapientiam robore praestare (fr. 199, cf. etiam fr. 200 et 220). Deinde citabo ex Oedipo hos senarios (fr. 552 ap. Stob. 66. 1):

νοῦν χρὴ θεᾶσθαι, νοῦν· τί τῆς εὐμορφίας
ὄφελος, ὅταν μὴ τὰς φρένας καλὰς ἔχῃ; [1])

Postremo monebo eum etiam in feminis mentem probam magis laudare quam formam, quippe quae per se nullius sit pretii [2]).

Non primus sane noster talia enuntiavit; Xenophanes enim scholae Eleaticae conditor multo ante testatus erat sapientiam suam virtutibus corporis longe praestare [3]). Attamen haec verba, quae Euripides illo Autolyci fragm. imitatus esse creditur, procul dubio multo minus vulgata erant quam poetae versus, quippe pronuntiatos coram tota fere Atheniensium civitate.

Vix opus est monere quantum haec omnia opinionibus Graecorum repugnent; ipsa quoque orationis forma ostendit opiniones vulgares refutari, quod imprimis elucet ex illa Orestae oratione in Electra (inde a v. 367) a re prorsus aliena, et e fr. 552. Notum est quantum Graeci formae tribuerent. Ex hac opinione manavit omnis vitae communis cultus, totus ludorum conviviorumque apparatus [4]) et ante omnia exercitationes corporis. Nemo sane Graecorum dubitabat quin »νοῦν θεᾶσθαι" deceret, sed omnes putabant non minus σῶμα χρῆναι θεᾶσθαι, sibique persuasum habebant ani-

---

1) Cf. Chrys. fr. 839. Solum Aeoli fr. 15 contraria habet: „Utinam videam eorum nepotes stirpe virili; primum staturam vultumque regium; hoc enim in vita maxime usui est, corpus speciem ordinis splendidi praebere.

2) Vid. Andromach. 207 sq., Antiop. fr. 211, fr. inc. 901.

3) Apud Bergk. fr. 2: „Siquis in certaminibus praemium fert clariorque fit apud cives, ea omnia consequitur,

οὐκ ἐὼν ἄξιος ὥσπερ ἐγώ· ῥώμης γὰρ ἀμείνων
ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων ἡμετέρη σοφίη.

nec siquis corpore exercitatissimus est civium

τοὔνεκεν ἂν δὴ μᾶλλον ἐν εὐνομίῃ πόλις εἴη,
οὐ γὰρ πιαίνει τοῦτο μυχοὺς πόλεως."

Anacharsis a Diog. Laertio narratur athletas vesanos dixisse. Stob. (54,8) Sophoclis citat hunc senarium:

γνῶμαι πλέον κρατοῦσιν ἢ σθένος χερῶν.

et (4) Agathonis: γνώμη δὲ κρείσσων ἐστὶν ἢ ῥώμη χερῶν.

4) Quantum noster ab opinionibus vulgaribus descisceret patet etiam e rebus levioribus. In Medea (190 sqq.) nutrix intempestive deridet morem cantandi in conviviis.

mum pulchrum nonnisi in corpore pulchro habitare posse [1]; testimonio est admiratio illorum, qui in Socrate et magnam corporis deformitatem cernerent et summam mentis praestantiam. Ipsa natura cultusque assiduus genti Graecae non solum mentem sanam tribuerat in corpore sano, sed etiam mentem pulchram in corpore pulchro; nam cum ii soli, qui disciplinis artibusque liberalibus studebant, corpus colerent, perfectio animi cum corporis perfectione conjuncta esse solebat.

Hinc *τέχναι βάναυσοι* despectui erant, obstabant enim quominus omnes partes animi et corporis aeque colerentur, et vel infestae erant haud raro perfectioni illi staturae et faciei, quam Graeci in homine ingenuo postulabant. Euripides vero, qui formae parum tribueret, hac quoque in re cum civibus suis consentire non poterat; produxit operarios illos frugalissimos (in Electra et Oreste), quos sua manu victum sibi quaerentes solos omnium hominum civitatem servare dixit (Or. 920); et hac ratione simul cum Socrate (vid. Xenoph. Memor. II c. 7) artes illiberales a civium contemptu vindicavit. Ergo hac quoque in re aequalibus praeivit et recentiorum opinionibus viam munivit; discedensque ab antiquis, ut saepe fit, ab altera parte profuit, ab altera obfuit. Sprevit id ipsum quod prae ceteris populis et temporibus in Graecis antiquis laudamus: cultum consentientem omnium mentis corporisque virium; at sustulit quod reprehendimus: laboris contemtum. In *καλοκἀγαθίᾳ* illa omisit *τὸ κάλλος*, auxit *τὸ ἀγαθόν*.

Aristophanes quoque mutationem perspexit, vehementerque questus est juventutem arti dicendi incumbentem gymnasticen negligere. Cuius vitii culpam quamvis non diserte in Euripidem conferat, tamen viro cl. v. Leeuwen [2]) assentior rhetorem scenicum ei procul dubio obversatum esse. Comicus acerbus autem eodem est animo ac omnes fere temporis acti laudatores. Magno acumine notare solent quid procedente tempore depravatum et corruptum sit, quae nova vitia irrepserint, eaque omnia summo jure reprehendunt; sed caeci sunt ad correctiones emendationesque vel nova bona, quae idem spatium temporis attulit.

---

1) Vid. Th. Bergk., Griechische Literaturgeschichte I pg. 6: „die Schönheit der äusseren Erscheinung galt als die sicherste Bürgschaft inneren Werthes;" pg. 28: „innere und äussere Schönheit sind nach der Vorstellung der Griechen unzertrennbar."

2) Dissert. lit. pg. 68 annot.

## § 2. *De divitiis et ordinibus civilibus.*

Transeamus ad res externas, quae etsi optimo cuique, ut Stoico verbo utar, *ἀδιάφορα* esse videntur, tamen per cuncta saecula maxime omnium rerum homines in communi civium societate distinguunt ac separant.

Supra jam vidimus (pg. 142) magnas opes ideo ab Euripide improbari, quod saepe superbia inflent homines et in injurias proripiant. Sed etiam alias ob causas ei videntur vitandae esse. Aliquando quidem eas laudat quippe utilissimas in amicis adjuvandis et in curando corpore aegroto, ut agricola in Electra (426 sqq.) ingenua testatur sententia [1], — sed multo plures exstant loci quibus despiciuntur, quippe quae a pessimo quoque conquiri possint (Alcmen. fr. 96, Polyid. fr. 642), aptaeque sint ad enervandos hebetandosque civium animos, quos contra paupertas et angustiae reddant audaces laborumque patientes (Alex. fr. 55, Archel. fr. 237, Polyid. fr. 642, Teleph. fr. 719). Itaque indignatur divitias supra alia omnia laudibus extolli (Danaes fr. 329, Eur. fr. 379, Thyest. fr. 399). Nam

*κρείσσων δὲ βαιὸς ὄλβος ἀβλάβης βροτοῖς*
*ἢ δῶμα πλούτῳ δυσσεβῶς ὠγκωμένον* (fr. 822 Phoen.) [2].

Generis nobilitas ei divitiis praestare videtur. Aliquando ergo (Andromach. 1279 sqq.; Archel. fr. 234) jubet eos, qui matrimonium inituri sint, potius futurae conjugis *γένος* quam rem familiarem inquirere, irridensque affirmat homines nobilitatem quidem laudare sed cum opulentis affinitatem quaerere (Thyest. fr. 399). Saepius vero enuntiavit parum referre quo loco quis natus sit. Ex Alexandro superest canticum (fr. 53), quo nobilitatem generis laudare *περισσόμυθον* dicitur:

*τὸ γὰρ πάλαι καὶ πρῶτον ὅτ' ἐγενόμεθα,*
*ὁμοίαν χθὼν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν ὄψιν* (?).

---

1) Impudentes auri laudes, quas in Danae aliquis fundebat (fr. 326), non veram poetae sententiam exprimere et per se patet et per narrationem Senecae (ep. 115; in titulo fabulae erravit, v. Dind. ad fr. illud). In Andromed. fr. 143 aurum per ironiam laudatur.

2) Cf. fr. inc. 884 et 885 de mensa modica. Magnum numerum huiusmodi sententiarum Stob. tit. 93 collegit.

διὰ δ' ἔκρινεν ἁ δόκησις βροτούς.
ἴδιον (δ') οὐδὲν ἔχομεν· μία δὲ γονὰ
τό τ' εὐγενὲς καὶ τὸ δυσγενές,

quorum verborum quamvis scriptura corrupta sit, tamen planus et perspicuus est sensus: terram omnes homines genuisse pares; eosque postea discretos esse, nihil vero sibi proprium habere, unumque genus esse nobili et humili loco ortos. Cui sententiae doctae et praeclarae congruunt multi loci, a Stobaeo eodem titulo quo illud fr. servati (86), testificantes fortes tantum et probos esse nobiles, nullam vero in malis et ignavis esse nobilitatem [1]). Itaque Orestes in Electra (383 sqq.) cognita indole agricolae, mariti sororis, stultos vocat qui vanis opinionibus (sc. de opibus et genere) referti non sola consuetudine et moribus homines judicent.

Eodem fere recidit quod liberos spurios variis locis, a Stobaeo tit. 77 collectis, nomine tantum non virtute ab ingenuis differre, aliquando etiam eos superare dixit.

Quid autem tragici nostri aequalibus de his rebus visum est? Magnas opes ad beatitatem parum valere nec tantopere concupiendas esse, divitumque animos saepe longe infra bonorum splendorem manere complures viderant (Solon ap. Herod., Timocreon vid. Bergk. poet. lyr., Theognis et Democritus ap. Stob. 97). Neminem vero ante Euripidem invenio qui tam frequenter τὸν πλοῦτον diserte vituperarit, tam variis criminibus obruerit. Post eum autem primus Aristophanes easdem accusationes protulit in Pluto, multoque copiosius, ut par est, exposuit (v. 507—594).

Quod attinet ad quaestionem de diversis civium ordinibus, ipsa historia reipublicae Atheniensium documento est apud eos nobilitatem parvam habuisse auctoritatem; sed quod populares nobilibus quasi servos dicto audientes esse noluerunt, id non ostendit eos se his omnino pares censuisse.

A nonnullis autem scriptoribus Euripide superioribus jam observatum erat ingenii dotes nobili ortu multo potiores esse (Democritus ap. Stob. 86, 18. Epicharmus ibid. 90, 18) [2]). Verum illis

1) Melan. fr. 514, Dict. fr. 345, Aeg. fr. 9, Alex. fr. 54; cf. pg. 166.

2) Quin etiam e Sophoclis Tereo apud Stob. (86. 12) fragmentum (518 ap. Dind.) exstat sententiam continens, quae similis videtur sententiae illi Euripideae de communi omnium hominum origine, supra laudatae:

temporibus praeter Euripidem solus Lycophron sophista et rhetor Gorgianus disertis verbis dixit generis nobilitatem specie tantum aliquid valere, nobiles vero ab humilibus reapse nihil distare [1]. Zeller (pg. 1007) putat eius sententiam manare a sophistica doctrina de discrimine *νόμου* et *φύσεως*. Potuit sane Euripides ea niti, sed potius mutatis civium rationibus ascribendum esse existimo quod is primus tam diserte tales sententias enuntiavit.

Usque ad aetatem Pericleam ii cives, qui genere erant principes, iidem pecunia plurimum pollebant, quia solae agrorum possessiones rem familiarem constituebant. Praeterea in civitatibus recens ortis ii cives qui opibus et potentia florent revera solent esse *ἄριστοι*, corporis strenuitate ingeniique cultu excellentes [2]. Ortus reipublicae Atheniensis post expulsos Pisistratidas bellique Persici labores eos firmaverant, ingenia et corpora corroboraverant, neque opulentia, quae pro temporis ratione modica erat et simplex, quamque insuper vi et armis defendere coacti erant, quidquam iis nocuit. At post memorabilia illa bella feliciter peracta et res gestas in insulis Graecis et Asia minore, praeda hostium, sociorum tributa, commercium cum populis Asiaticis omnia luxuriae instrumenta advexerant. Quorum deliciis quum vel virorum antiquorum nonnulli corrumperentur et depravarentur, velut Pausanias [3]), juventus quae nullos noverat labores, nullas angustias, omnesque opes paratas inve-

---

*ἓν φῦλον ἀνθρώπων μί' ἔδειξε πατρὸς καὶ ματρὸς ἡμᾶς*
*ἁμέρα τοὺς πάντας· οὐδεὶς ἔξοχος ἄλλος ἔβλαστεν ἄλλου,*
*βόσκει δὲ τοὺς μὲν μοῖρα δυσαμερίας τοὺς δ' ὄλβος ἡμῶν,*
*τοὺς δὲ δουλείας ζυγὸν ἔσχεν ἀνάγκας.*

Ego tamen dubito num haec ita sint interpretanda ut significent omnes homines eandem habere originem sibique pares esse. Quid sibi vult *μία πατρὸς καὶ ματρὸς ἁμέρα* totum genus humanum procreans? Bergkius *ἓν φῦλον* scripsit pro *ἐν φύλῳ*, quod apud Stob. legitur; sed vide ne haec sit sana lectio, ita ut totum fragm. spectet liberos alicuius herois mythologici potius quam totum genus humanum. Hoc certe non perspicue patet generis differentiam spectari; sortis discrimen tantum significari dixerim.

1) Pseudo-Plut. de nobilit. 18. 2: *ἐκεῖνος γὰρ* (sc. Lycophron) *ἀντιπαραβάλλων ἑτέροις ἀγαθοῖς αὐτὴν, εὐγενείας μὲν οὖν, φησὶν, ἀφανὲς τὸ κάλλος, ἐν λόγῳ δὲ τὸ σεμνὸν, ὡς πρὸς δόξαν οὖσαν τὴν αἵρεσιν αὐτῆς· κατὰ δ' ἀλήθειαν οὐδὲν διαφέροντας τοὺς ἀγενεῖς τῶν εὐγενῶν.*

2) Argumento est duplex sensus plurimorum verborum quae generis nobilitatem indicant: *ἐσθλός, εὐγενής, γενναῖος*, generosus, ingenuus, edel, noble cet.

3) De Themistocle mihi parum constare videtur.

nerat, fiebat mollior, effeminatior, superbior, et cum voluptatibus suis effrenata licentia indulgeret, illas opes celeriter dissipabat. Praeterea mercatura novis itineribus in immensum crescens divitiis auctum extulerat genus hominum, quod pro innata Graecis cupiditate studioque fallendi sine dubio non excellebat probitate et integritate. Contra e plebe multi iisdem bellis ingenium corpusque exercuerant, variisque laboribus quasi educati et exculti ostenderant se virtutibus ceteris civibus non inferiores esse. Non amplius ergo ordinum ratio naturae congruebat. Apparebat non eos, qui genere aut opulentia florerent, optimos esse cives, atque ingenii laudibus nihil esse cum fortuna vel statu civili. Quum tamen illi, ut adsolet, plurimis honoribus ornari pergerent, homines acuti hanc injustitiam indignati cogitando inveniebant instituta humana multis in rebus naturae repugnare: nunc homines ordinibus et pecunia discretos esse, initio pares fuisse; neque iis quidquam vere proprium esse quo alter alterum superet, nisi ingenii corporisque virtutes.

Olim igitur ordinum ratio naturali quadam distinctione nitebatur, quo factum est ut nemo eam roderet; nunc vero opinata et vana erat; quare non miramur his demum temporibus divitias nobilitatemque coeptas esse explodi.

Omnis igitur eiusmodi opinio nititur distinctione *νόμου* et *φύσεως*, si accurate intuemur; sed aliud est unum exemplum observare et inde sensim ad eam doctrinam pervenire, ut Euripides fecisse videtur, aliud doctrinam proponere indeque varias observationes ducere, ut fecerunt sophistae quidam.

Verum id maximi momenti in hac quaestione esse arbitror, utrum sententia illa etiam ad servitia pertineat.

Euripides autem de servis in utramque partem locutus est. Imprimis tyrannorum servos odit et despicit (Or. 888—896, Tro. 425 sq.), sed et reliquos increpat. Chorus in Hecuba (332 sq.) *τὸ δοῦλον* semper malum esse dicit quia vi coactum audet facere quod dedeceat. Ex Alcmeone apud Stob. (Flor. 62, 22) duo leguntur senarii, quibus stulti vocantur qui servo credant. Ex Alexandro fabula plurimae sententiae de servis excerptae sunt [1].

---

1) Hoc enim erat argumentum: Alexander a parentibus expositus infans, a pastoribus

Legimus malum esse servorum genus, ventri soli deditum (fr. 50); nihil esse molestius quam servos magnanimos dominisque fortiores (fr. 49, 52); sed etiam legitur sententia illa quam laudavi quum de generum discrimine agerem (pg. 173): omnes homines origine aequos, postea libidine discretos esse (fr. 53). Magna autem est quaestio num haec verba etiam ad servos pertineant; est tamen veri simile, quoniam in fabula legebantur in qua, ut vidimus, de servis saepissime erat sermo. Congruunt etiam pauci alii loci. In Ione (854 sqq.) paedagogus dicit nomen solum servis pudori esse; quod ad alia omnia attinet, servum frugi ingenuis non inferiorem esse; fr. Melanippes (515, ap. Stob. 62, 38): probos servos nomine suo non corrumpi, multos enim meliores esse quam ingenuos (idem Phrix. fr. 828). Nuntius in Helena (728 sqq.) optat ut in proborum servorum numero ipse habeatur, et nomine ingenuo carens mentem tamen servet ingenuam [1]).

Ecce de universo servorum genere variae sententiae cum in malam tum in bonam partem. Quomodo haec discrepantia explicanda est?

Servorum Atheniensium plerique sine dubio impudentes, furaces, mendaces erant; testimonio sunt Aristophanis comoediae, quas, quamvis multa augeant et exaggerent, tamen non omni veritate carere puto. Servi omnino apud antiquos male audiebant, nec Homerus frustra dixisse videtur (Od. XVII 322 sq.):

»ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν."

Quare non mirandum est nostrum quoque aliquando totum genus increpasse. Probe tamen sciebat multos eorum optima indole praeditos esse; itaque quum talem describat non potest quin observet eos nonnisi nomine ingenuis inferiores esse. Nusquam tamen apud eum perspicue legimus servitutem naturae repugnare; nisi id fr. 53 (vid. pg. 172) indicare voluerit. Fortasse in eam sententiam ideo non incidit quod plerique Graecorum servi essent

---

educatus erat. Ignotum fratres vexant, quos omnes certamine vincit. Dein dolo ab iis paene interfectus fuit, nisi Cassandra eum agnovisset. Haec in certamine servi, qui credebatur, victoria sententiarum diversissimarum materiam praebuit.

1) Bonis servis dominorum mala cordi sunt (Med. 54 sq.). Ipsi testantur decorum esse servis pro dominis mori (Hel. 1640 sq. Iph. Aul. 312).

barbari; attamen primus eorum tam diserte dixit bonos servos nomine tantum ab ingenuis differre [1]).

Verum Alcidamas, Gorgiae discipulus, naturam omnes homines liberos genuisse dixit, et verisimile est Aristotelem sophistarum discipulos significare, ubi dicit nonnullos servitutem ut naturae repugnantem et prorsus injustam rejecisse [2]).

Apparet ergo in his quoque Euripidem ad rectiores recentiorum hominum opiniones viam monstrasse.

## § 3. *De Republica.*

### *a.* Otium Euripideum.

In eo capite, quod est de Euripidis moribus, obiter monui eum numquam capessivisse rempublicam sed studiis solis vacasse. Hoc otium, cuius primum exemplum Anaxagoras dederat, non poterat quin offenderet cives Athenienses in muneribus publicis potissimum occupatos, quibusque quidlibet potius persuasum esset quam illud Senecae: »qui nihil agere videntur maiora agunt: humana divinaque simul tractant." Qua invidia cognita Euripides vitae suae rationem defendere civibusque probare voluisse videtur. In perdita enim tragoedia Antiopa fratres Zethum et Amphionem de hac re disputantes inducit. Ille laudat vitam rusticam, publicam, bellicam, fratremque hoc modo carpit (fr. 187; apud Stob. Flor. 30, 1): »Si quis victu abundans res domesticas negligit et cantu delectatus huic arti tantum vacat, inutilis domo et reipublicae fiet, amicisque nihili erit; languescit ingenium, siquis molli gaudio inferior est". »Negligis id cui operam dare debebas, ingenioque illustri praeditus figura muliebri enites," quibus verbis laudatis Callicles quoque Socratem a vita otiosa ad vitam publicam convertere studet (Gorg. pg. 485 E.).

Amphion contra his verbis vitam suam defendit (fr. 194):

---

1) Unum hoc Sophoclis fr. (677. ap. Dind.) ap. Stob. 62, 33, aliquatenus comparari potest: εἰ σῶμα δοῦλον, ἀλλ' ὁ νοῦς ἐλεύθερος.

Videtur tamen ad unam tantum personam pertinere, neque universa, quantum scimus, inde ducitur sententia.

2) Pol. I. 3. 1250 *b* 20. Zeller putat (pg. 1007) eos niti sophistica distinctione νόμου et φύσεως.

»vir otiosus amicis fidus est et certus, civitati utilissimus. Nolite incepta periculosa laudare, ego enim neque nautam audaciorem neque magistratum probo". (fr. 201): »Liceat mihi docti quid cantare et recitare, illas autem res, quibus civitas laborat, negligere."

Etiam Ionis imagine Euripides vitam ἰδιώτου illustravit, eiusque oratione defendit. Filius recens repertus hortanti patri ut Athenis captet rempublicam denegat se id facturum, usus argumentis e statu rerum qualis erat tempore Euripideo petitis, ita ut consilium poetae non ambiguum possit videri. Testatur enim (589 sqq.) se, utpote peregrinum, plebi invisum esse, tum sapientibus qui a rerum administratione abstineant ludibrio futurum, nisi otiosus maneat in civitate factionum discordiis turbata, infestum denique se futurum optimatibus qui teneant rempublicam, quorum si ad dignitatem ascendere voluerit se per eorum suffragia repulsam esse laturum. Deinde pergit explicare delicias vitae suae, quam procul negotiis, a nullo homine vexatus, securus agat. Philosophicae vitae laudes Euripides etiam praedicavit cantico supra (pg. 77) laudato, in quo hoc quoque urguet quod illud est hominum genus

μήτε πολιτῶν ἐπὶ πημοσύνην
μήτ' εἰς ἀδίκους πράξεις ὁρμῶν.

Illo otio imprimis vita recentiorum hominum ab antiquorum vita differt. Inde a tempore Euripideo qui studiis se dabant non amplius muneribus publicis fungebantur ut Socrates, Plato, Isocrates, Aristoteles cet. Quamquam vehementer dolendum est praestantissimos viros rempublicam detrectantes scholae tantum vixisse, tamen excusatio quaedam mutati status reipublicae iis denegari nequit. Etiamsi credimus ochlocratiae terrores demagogorumque impudentiam verbis historicorum plerumque valde exaggerata esse, tamen oratores novi ex infima plebe oriundi, ut fuerint rerum periti, profecto dignitate, venustate, urbanitate carebant. Ubi tales homines agrestes gratia crescunt sensimque rerum imperio potiuntur, eruditiores elegantioresque e vita publica recedere solent; neque id prorsus iis vitio verti potest. Non injuria Ion Euripideus, gaudens quod in templi ministerio se nemo improbus loco detrudat, addit (v. 636):

κεῖνο δ' οὐκ ἀνασχετὸν
εἴκειν ὁδοῦ χαλῶντα τοῖς κακίοσιν.

Tum sive optimates fuere in culpa sive populares, belli Peloponnesiaci temporibus respublica Atheniensis discordiis civilibus laborabat tam acribus ut munerum publicorum detrectatio facile excusari possit. At tragicus noster cum jam viginti fere annis antea reipublicae vacare potuisset, ab ineunte aetate statim vitam sibi elegit otiosam.

### *b.* Euripides laudator patriae.

Erat enim natura ad contemplandum et cogitandum quam ad agendum propensior. Nam eius otii causa nullo modo inde repetenda est quasi omnino censeret patriam hominibus parvi esse pretii, aut suae urbis statum parum curaret. Nemo saepius enuntiavit hominibus nihil dulcius esse patria, nihil exsilio miserius (Med. 649 sqq., Phoen. 358 sqq., 389, 406. Aeg. fr. 6, Aeol. fr. 30, Dict. fr. 349, Temenid. fr. 729, Phrix. fr. 814). Quod semel vel iterum dixit totam terram nobis esse patriam (Phaeth. fr. 774, fr. inc. 1034), id illarum sententiarum vim vix extenuat. Sed quomodo cum his voluntarium ipsius exsilium congruit? Quid? Nonne Aeschylum quoque patriae multum tribuere censebimus? Is autem perinde ac Euripides Athenis relictis ad regem beneficum se contulit [1]).

Praeterea noster primum Graecos barbaris multum praestare frequenter testatus est [2]), ita ut ipsam Hecubam exclamare faciat: Graecos (intelligitur: quippe generosiores) numquam barbaris amicos esse posse; tum e civitatibus Graecis Athenas semper plurimum celebravit. Athenienses ante omnia pietatis laudem sibi arrogabant, itaque multis fabulis argumento sunt exsules,

---

1) Tamen nescio an de ratione inter patriam et cives aliter poeta senior judicet, aliter junior; comparemus Septem adv. Thebas et Phoenissas. In illa fabula Polynices quasi hostis patriae improbissimus depictus est, neque quisquam monet eum a fratre injuste expulsum esse. In hac vero Polynices est juris sui petitor justus, quamquam Jocaste non probat bellum adversus patriam susceptum. Eteocles contra injustus est tyrannidis amator. Dicas Aeschylum censere cives patriae omnia debere, patriam iis nihil, Euripidem vero patriam quaedam officia erga cives exsequi debere. Non inepte Schenkl (Die politischen Anschauungen des Euripides pg. 22) Med. 329 et Suppl. 506 sqq., ubi familiae patria posthabetur, eiusdem rei testimonia putat: *πλὴν γὰρ τέκνων ἔμοιγε φίλτατον πόλις*, et: *φιλεῖν μὲν οὖν χρὴ τοὺς σοφοὺς πρῶτον τέκνα, ἔπειτα τοκέας πατρίδα θ'*.

2) Hel. 276, Iph. Aul. 1401, Bacch. 488, Teleph. fr. 717.

qui caede polluti aut innocentes ab inimicis patria expulsi, ab Atheniensibus praeeunte rege excipiuntur, purgantur, defenduntur. Supplices matres principum, qui apud Thebas ceciderunt, a Thebanorum, — Heraclidae ab Eurysthei vindicantur ferocia. Oedipus novit se Athenis comiter exceptum iri; Hercules liberorum sanguine maculatus a Theseo eodem abducitur, Aegeus Medeae expulsae perfugium promittit [1]).

Verbis quoque saepissime Athenas celebravit. Troades captivae optant se Athenas abductum iri (207 sqq.), Iolaus longa oratione Atheniensium virtutem exponit (Heraclid. 181—201); Ion Creusam beatam praedicat quod in tali urbe habitet (262 sq.); chorus in Medea Athenarum laudes canit (v. 324 sqq.) [2]). Concedo eum laudes illas haud dubie non solum ob patriae amorem tam benigne effudisse sed etiam ut spectatoribus suis gratificaretur. Qua in re reliqui tragici praeiverant. Aeschylus Persarum fabula celebravit Graecorum et imprimis Atheniensium victoriam, quorum virtutes chorus Atossae exponit (236—245), et per totum drama vel invitus laudat (285—289, 347 sqq., 1025). In Eumenidum fabula Orestes Athenis perpetuam pacem exoptat (162 sqq.). Sophocles Atheniensium pietatem per Oedipum Coloneum celebravit, quem facit dicentem (1125):

ἐπεὶ τό γ' εὐσεβὲς
μόνοις·παρ' ὑμῖν ηὗρον ἀνθρώπων ἐγὼ
καὶ τοὐπιεικὲς καὶ τὸ μὴ ψευδοστομεῖν.

Nihil novi ergo introduxit noster, sed non potest negari eum hac in re ut in aliis nonnullis modum excessisse, cui superiores prudenter parcentes profuerant et delectaverant.

Spartiatas contra detestatur odio capitali; testimonio est Menelaus, qui in nonnullis fabulis moribus abjectissimis producitur. Andromache et Peleus vehementissime increpant Lacedaemoniorum fallaciam et impudicitiam (Andr. 445—453, 595—601); etiam in Supplicibus crudelis et fallax dicitur Sparta [3]), Troadesque captivae optant ne illuc abducantur (211 sqq.). Huius odii

1) Erechtheus quoque fabula fuit amoris patriae plena, ideoque Lycurgo laudata (cf. Leocr. § 98).

2) Cf. praeterea Suppl. 118 sqq., El. 1319 sq.

3) V. 187. Suspicor in Heraclidis proavae Alcmenae moribus Lacedaemoniorum ferociam tecte vituperari, cf. pg. 13 not.

causae in promptu sunt. Nulli homines Euripidis ingenio magis repugnabant quam Spartiatae, qui artes disciplinasque omnes contemnerent, nil nisi corpus colerent.

### *c.* Quarum partium civilium sectator esset Euripides.

Ut consentaneum est in homine cui tam cara esset patria, multum eius intererat quae ratio intercederet inter Athenas externasque gentes, et quomodo in ipsa civitate sua res administrarentur. In nonnullis fabulis procul dubio exstant foederum et bellorum significationes, quae tamen, si ignoratur quo anno fabula scenae commissa sit, vix cum certa fide ad res gestas revocari possunt. Qua de re quae conjiciuntur exposui fere in annotationibus ad pag. 10—15.

Jam quaeramus quid de republica regenda censuerit. Quod id non sine fructu quaerere possumus, id acceptum referimus temporum incuriae, qua Euripides, heroum antiquorum mores cum depingeret, suae aetatis leges et instituta iis praebuit. Reges apud eum nihil invito populo vel exercitu facere audent. Ion (vid. pg. 178) et Theseus (Suppl. 232 sqq.) narrant studia civium quasi aequalium poetae; quin etiam Hecuba (in cogn. fab. 291 sq.) diserte provocat ad legem de servis latam florente republica Atheniensium. Itaque opinionem suam poeta saepe personis scenicis tribuit.

Vix opus est dicere eum tyrannos tyrannidesque gravissime increpare. Ion, Theseus copiosis orationibus eas improbant (Ion. 621—632, Suppl. 427—455)[1]; solus Eteocles vir injustissimus et cupidissimus dicere audet pro tyrannide vel peccandum esse. Ad idem tyrannidis odium pertinet quod ipsi illi reges prisci civium suorum voluntati subjecti sunt, unaque cum iis de omnibus rebus consulunt.

Sed non minus diserte plebem invidam odit eiusque poten-

1) Cf. praeterea Med. 119, Peliad. fr. 608, Alcmeon. fr. 77, Alcmen. fr. 93, Antig. fr. 172, Aug. fr. 277. Contra Aeg. fr. 8:

*ἀνδρὸς ὑπ' ἐσθλοῦ καὶ τυραννεῖσθαι καλόν.*

tiam improbat. In Suppl. inter tres civium ordines enumerantur pauperes (240 sqq.):

δεινοὶ, νέμοντες τῷ Φθόνῳ πλέον μέρος,
ἐς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσιν κακὰ,
γλώσσαις πονηρῶν προστατῶν Φηλούμενοι.

Plebs autem plerumque oratores sequitur; itaque omnia inde pendent quales viri ei praesint (Or. 772):

δεινὸν οἱ πολλοὶ, κακούργους ὅταν ἔχωσι προστάτας.
ἀλλ' ὅταν χρηστοὺς λάβωσι, χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεί.

Pessimos autem duces censet demagogos illos qui, ut plebi gratificentur, mentiri non verentur, aut qui stulti quidem sed audaces et loquaces ad malas actiones cives proripiunt [1]). Talis vir describitur in Oreste (903 sqq.):

ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων θράσει,
'Αργεῖος οὐκ 'Αργεῖος, ἠναγκασμένος (?)
θορύβῳ τε πίσυνος κἀμαθεῖ παρρησίᾳ.

Ubicunque potest demagogos illos carpit et lacerat. Inter heroas antiquos nemo illis tam similis videbatur quam Ulysses, qui dicendi peritus ingenioque versutus ultro semper aggreditur res difficillimas. Eum igitur semper negotia odiosissima suscipere facit: Polyxenam a matre abducit, Iphigeniam abducturus esse dicitur, Astyanactis infantis necandi auctor est (in Troadibus). Ei ergo poeta mores demagogi suae aetatis tribuit; Hecuba eum (in cogn. fab. v. 254) his verbis alloquitur:

ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους
ζηλοῦτε τιμάς· μηδὲ γιγνώσκοισθέ μοι,
οἳ τοὺς Φίλους βλάπτοντες οὐ Φροντίζετε,
ἣν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λέγητέ τι.

Eadem in Troadibus (284) eum vocat virum detestandum, justitiae hostem, beluam leges violantem, qui duplici lingua omnia pervertat, probet quae antea odiosa fuerant. In Iph. Aul. (526) vocatur ποικίλος, τοῦ τ' ὄχλου μέτα [2]).

---

1) Cf. Hipp. 486: „hoc ipsum civitates et domus perdit οἱ καλοὶ λίαν λόγοι, non enim jucunda aliis dicenda sunt sed quae corrigant et emendent."

2) Etiam in Palamede agebat partes „proditoris", qui sc. efficeret ut princeps innocens apud populum accusatus capitis damnaretur; itaque suspicor eum in hac quoque fabula ad exemplum demagogorum depictum esse.

Haec omnia vel ab Aristophanis opinionibus nihil differunt. Nec non comicus in Ranis laudat responsa de republica a nostro data, quorum primum hoc ad Alcibiadem transfert (v. 1427): odi civem, qui tardus est ad juvandam patriam, acer ad nocendum; ad suum quaestum acutus, ad civitatis pinguis", — alterum hoc ad civitatis Atheniensis statum (1446): »si civibus quibus nunc confidimus, diffideremus, quibusque non utimur iis uteremur, fortasse salvi essemus" [1]).

Euripides ergo nullo modo partes plebis infimae demagogorumque audacium sequebatur, neque conspirabat cum ochlocratia quae vocatur.

Quid? num oligarchiam probans nobilium partibus ascriptus erat? Non credo; videor mihi harum reprehensiones in nonnullís fabulis legere. In Suppl. 238, ubi inter civium ordines primi enumerantur locupletes, ait:

*οἱ μὲν ὄλβιοι*
*ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ' ἐρῶσ' ἀεί.*

Nobiles quoque procul dubio, nempe quibus patrimonium dissipatum erat, significavit his Herc. fur. versibus (588):

*πολλοὺς πένητας, ὀλβίους δὲ τῷ λόγῳ*
*δοκοῦντας εἶναι, ξυμμάχους ἄναξ ἔχει,*
*οἳ στάσιν ἔθηκαν καὶ διώλεσαν πόλιν*
*ἐφ' ἁρπαγαῖσι τῶν πέλας, τὰ δ' ἐν δόμοις*
*δαπάναισι φροῦδα διαφυγόνθ' ὑπ' ἀργίας.*

Tum qui tam parum tribuebat opulentiae et generis nobilitati, qui tam clare videbat non eundem esse sapientem fortem justum, qui nobilis sit vel dives (vid. pg. 172—175), is numquam suffragari potuit ei statui reipublicae, in quo solus nominis vel auri splendor viam ad honores faciat.

Vidimus igitur eum infimae sane plebi diffidere, sed multo magis demagogis. *Τὸν δημὸν* vero minime oderat; modo censebat prudenter esse temperandum et regendum neque omnem potentiam ei tribuendam. Vid. Plisthenis fr. (628) apud Stob. (flor. 48, 1) servatum:

---

1) Ignoratur quibus e fabulis hae sententiae petitae sint et quo pertineant; ego verisimillimum duco comicum eas arbitratu suo excerptas in suam rem vertisse.

δήμῳ δὲ μήτε πᾶν ἀναρτήσῃς κράτος
μήτ' αὖ κακώσῃς, πλοῦτον ἔντιμον τιθείς,
μηδ' ἄνδρα δήμῳ πιστὸν ἐκβάλῃς ποτὲ
μηδ' αὖξε καιροῦ μεῖζον, οὐ γὰρ ἀσφαλές,
μή σοι τύραννος λαμπρὸς ἐξ ἀστοῦ φανῇ.
κόλουε δ' ἄνδρα παρὰ δίκην τιμώμενον,
πόλει γὰρ εὐτυχοῦντες οἱ κακοὶ νόσος [1]).

Non igitur miramur eum alibi dicere, ut pg. 182 vidimus, omnem spem vel metum in populi ducibus situm esse. Quanti autem faceret viros humili loco ortos sed prudentia et constantia conspicuos, id ostendit descriptione talis viri in Oreste, quem audaci rabulae opponit (917—922): »Alius quispiam surgens contraria dixit; erat vir non quidem formosus sed fortis, raro urbem forumque visitans, agricola qui sua manu victum sibi quaerebat, quales soli fines servant, prudens, paratus ad disputandum, integer vitae scelerisque purus"; etiam eiusdem rei testimonium est persona αὐτουργοῦ in Electra fabula. In Supplicibus (947) dixit mediam partem civium inter divites et victu indigentes, quippe observantem civitatis leges et instituta, optime rempublicam servare.

Optimum igitur regimen popularium moderatissimorum populique gubernati a prudentissimis viris censuisse videtur, quae omnia cadunt in eam aetatem, qua Pericles reipublicae Atheniensium praeerat. Quare mihi persuasum est eum omnium maxime laudasse rempublicam Periclis, cui in moribus magna ex parte similis fuisse videtur (cf. pg. 23), quemque recens mortuum significasse nobili illo Hippolyti versu (1459) non inepte creditur:

ὦ κλείν' Ἀθηνῶν Παλλάδος θ' ὁρίσματα,
οἵου στερήσεσθ' ἀνδρός.

Tum regnum Atticum a regibus illis antiquis Theseo et Demophonte moderatum (in Suppl. et Heracl.), et ob pietatem tantopere laudatum omnino ad exemplum civitatis Pericleae conformavit. Vide modo quid Theseus in Supplicibus de sua urbe jactet, satis absurde pro illius aevi rationibus (404 sqq.): »civitas nostra non ab uno viro regnatur sed libera est; populus regnat annuis vicibus, non divitibus plurimum tribuens; pauperes aequum

1) Cf. Or. 696—703.

habent jus;" (434): »civis humilior potentiorem vincit si stat a parte juris; haec quoque est libertas quod rogatur: quis vult consilium utile reipublicae in medium proferre? Quod qui vult conspicuus est, qui non vult tacet. Quid his civitati aequius?" Euripides igitur rempublicam Pericleam omnium maxime probavit et etiam postquam Pericles mortuus est eam celebravit, quemadmodum fabulae supra citatae ostendunt.

Sunt qui contendant eum postea Alcibiadis sectatorem exstitisse, sed nescio an nullum huius opinionis argumentum inveniri possit praeter epinicium quo Alcibiadis victoriam Olympicam celebravit [1]). Quod enim foedus cum Argivis, cuius princeps auctor fuit Alcibiades, commendavit in Supplicibus (si modo idem foedus agitur, vid. pg. 12 not. 2), id non necesse est eum Alcibiadis gratia fecisse. Tum reputemus quantopere bellum non necessario susceptum improbet; Adrastum enim in Supplicibus vehementer increpat Theseus (v. 232) quod id fecerit

νέοις παραχθεὶς, οἵτινες τιμώμενοι
χαίρουσι, πολέμους τ' αὐξάνουσ' ἄνευ δίκης,
φθείραντες ἀστοὺς, ὁ μὲν ὅπως στρατηλατῇ,
ὁ δ' ὡς ὑβρίζῃ δύναμιν ἐς χεῖρας λαβὼν,
ἄλλος δὲ κέρδους οὕνεκ', οὐκ ἀποσκοπῶν
τὸ πλῆθος εἴ τι βλάπτεται πάσχον τάδε.

Nonne haec potius eiusdem Alcibiadis acrem vituperationem continere videntur, qui eo ipso tempore nova bella pararet? Etiam v. 480—493 eiusdem fabulae bellum improbavit, ait enim: negligentes bona pacis

οἱ κακοὶ
πολέμους ἀναιρούμεσθα καὶ τὸν ἥσσονα
δουλούμεθ' ἄνδρες ἄνδρα καὶ πόλις πόλιν [2]).

Non igitur verisimile est eum Alcibiadi aliquamdiu favisse.

---

1) Mihi enim Schenkl. (Die polit. Anschauungen des E., pg. 25 annot.) minime persuadet his Supplicum versibus (190 sqq.) Alcibiadem significari:

καὶ νεανίαν
ἔχει σε ποιμέν' ἐσθλόν· οὗ χρείᾳ πόλεις
πολλαὶ διώλοντ' ἐνδεεῖς στρατηλάτου.

2) Cf. etiam Tro. 400 pulcerrimusque hymnus in pacem in Cresph. fr. 462. De belli ducibus nobilis est in Phoenissis octonarius (599) ab Augusto frequenter laudatus:

ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

Difficile est plura colligere de eius opinionibus ad rempublicam pertinentibus; itaque haec hactenus; ut autem brevi repetam quae de hac re mihi disputata sunt: Euripidi quamvis otium sibi eligenti tamen patria carissima, eiusque salus magnopere cordi erat; in ea regenda autem democratiam Pericleam maxime omnium probasse videtur.

---

# CAPUT IV.

## DE VITA DOMESTICA.

### § 1. *De muliebri sexu, amore, matrimonio.*

#### *a.* Graecorum opiniones vulgares.

De Euripide feminarum osore decantata fere sunt omnia. Nam in utramque partem multum de ea re disputatum est: ab antiquis ei sexus muliebris odium exprobratum est; recentiores plerique argumentati sunt eum si totum sexum odisset non tot feminas generosas et amabiles producturum fuisse. Tamen nescio an tota res nondum penitus explorata et exhausta sit. Quae mihi videtur recte dijudicari non posse nisi universus feminarum status apud Graecos simul spectetur.

Notum est Sophoclis dicterium: Euripidem in tragoediis tantum mulieres odisse »*ἀλλ' οὐκ ἐν τῇ κλίνῃ*". Quod ego potius ad totam gentem Graecam referendum esse puto, nempe Graecos mulieres tantum amasse prout voluptatem praeberent, verum in omnibus aliis rebus odio habuisse.

Inter gentes Indo-Europaeas usque ad hanc nostram aetatem nationes Romanis cognatae numquam tanta veneratione sexum femineum coluerunt quanta Germanae, nullus vero populus eum tantopere contempsit ac Graeci. Videbantur iis mulieres esse genus hominum multo inferioris notae quam viri, tamquam viri depravati. Tamen cum illis vivendum erat; nam Jupiter, ut Hesiodi verbis utar (Theog. 600 sqq.), malum quidem eas viris

dedit, — sed non minus malum iis qui caelibem vitam agere sustineant [1]). Quia igitur viri sexu muliebri carere non possint, multae nationes Graecae hanc potissimum viam sequendam duxerunt ut eas quam maxime observarent, quam arctissima custodia circumdarent, quam minime erudirent ne libertate et mali cognitione corruptae voluptatibus illicitis aliisque vitiis indulgerent. Non me teneo quin ex Oeconomico Xenophontis testimonium citem, quod paucis verbis conjugum condicionem egregie notat (III. 12): *Ἔστι δὲ ὅτῳ ἐλαττόνα διαλέγει ἢ τῇ γυναικί; — Εἰ δὲ μὴ, οὐ πολλοῖς γε, ἔφη. — Ἔγημας δὲ αὐτὴν παῖδα νέαν μάλιστα, καὶ ὡς ἐδύνατο ἐλάχιστα ἑορακυῖαν καὶ ἀκηκουῖαν* [2]). Sexum igitur femineum, cui nos in vitae communis consuetudine semper loco cedimus, quem verecundia colimus, pro quo nostra ipsorum studia reprimere conamur, Graeci in servorum fere statum detrusum habebant [3]).

Vix autem opus est dicere has perpetua illa gravissimarum rerum ignoratione et custodia quasi carceris tandem factas esse genus tam ineptum et stultum ut aliquatenus jure a viris contemneretur. Quod rursus viris ipsis maxime omnium nocuit eosque ad omne genus impudicitiae impulit [4]).

Illud odium et contemptio in literis quoque elucere debuit, neque igitur ullum fere invenias scriptorem Graecum quin ali-

---

1) Cf. Schol. Dionys. Thrac. pg. 748 et Metelli Numidici orationem ap. Gellium I. 6.

2) Cf. apud Stob. 74, 11 hoc Menandri:

*πέρας γὰρ αὔλειος θύρα*
*ἐλευθέρᾳ γυναικὶ νενόμιστ' οἰκίας.*

Ibid. 33 Hyperidis: *Δεῖ τὴν ἐκ τῆς οἰκίας ἐκπορευομένην ἐν τοιαύτῃ καταστάσει εἶναι τῆς ἡλικίας, ὥστε τοὺς ἀπαντῶντας πυνθάνεσθαι, μὴ τίνος ἐστὶ γυνὴ, ἀλλὰ τίνος μήτηρ.*

3) Non in omnibus sane civitatibus Graecis feminae eodem modo custodiebantur. Spartae multo maiore fruebantur libertate et etiam maiore cura educabantur. Sed Lycurgus nil nisi virorum praestantiam spectaverat; feminas igitur non ipsarum causa educari voluit, sed ut filios robustos et fortes procrearent. Itaque exercitationes corporeas praescripsit libertatemque iis tribuit solum ut intrepidas redderet: virtutes vere muliebres Spartiatae nihil curabant. Sed tamen illa educatione feminae Spartiatae, si non verecundae castae amabiles, tamen corpore ingenioque praestantiores evaserant quam reliquae.

4) Cf. Bergk. Gesch. d. Gr. Lit. II. 455: „Aber diese Attische Gesellschaft hat einen eigenthümlichen Charakter; es fehlen die Frauen, die mit ihrer Empfänglichkeit, mit ihrer Anmuth und angeborenem Takte anregend, ausgleichend, veredelnd wirken".

quando iis maledixerit [1]). Apud Homerum Minerva in Odyssea (XV. 20) affirmat feminam nihil curare liberos maritumque mortuum, simulac alius quispiam eam uxorem ducere velit; Agamemnon in inferis Ulyssem de sua nece certiorem faciens exclamat:

*ὡς οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός* (XI 427),

monetque ne quis erga uxorem comis sit neve omnia quae sciat cum ea communicet, verum nonnulla celet [2]). Hesiodus feminarum originem a Pandora ducens, altera Eva, (Theog. 591) eas vocat *ὀλώϊον γένος*, quae *πῆμα μέγα θνητοῖσι μετ' ἀνδράσι ναιετάουσιν*, comparatque fucis inertibus qui alieni laboris fructum consumunt; alibi (Oper. 375) qui feminis fidat eum furibus fidere dicit. Notae sunt Simonidis Amorgini satyrae, Archilochi Hipponactisque [3]) convitia. Neque Aeschylus reverenter de iis loquitur; vide modo Eteoclis chorique altercationem in Septem (245—270), et observa quanta cum dubitatione rex Argivorum in Supplicibus constituat ut viri pro mulieribus proelium ineant (476 sq.). Sophoclis quoque haec exstant fragmenta (Dind. 197; ap. Stob. 73. 51):

*κάκιον ἄλλ' οὐκ ἔστιν οὐδ' ἔσται ποτὲ*
*γυναικὸς, εἴ τι πῆμα γίγνεται βροτοῖς.*

et (Dind. 694; ap. Phot. Bibl. p. 530, 15):

*ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω.*

Socrates Platonicus in carcere uxorem lacrimantem sine ullo dolore

---

1) Concedo etiam in ceterarum gentium literis a libro Geneseos usque sexum muliebrem male audire. Scilicet olim qui libros scribebant viri erant. Si in literis semper aequa fuisset mulierum auctoritas, procul dubio non rariores legeremus virorum reprehensiones. Id Euripides quoque notavit in Medea, ubi chorus mulierum haec canit (424):

*οὐ γὰρ ἐν ἁμετέρᾳ γνώμᾳ λύρας*
*ὤπασε θέσπιν ἀοιδὰν*
*Φοῖβος, ἁγήτωρ μελέων· ἐπεὶ ἀντάχησ' ἂν ὕμνον*
*ἀρσένων γέννᾳ.*

Aristoph. Thesm. 786 luculenter indicat in quam mala existimatione essent feminae:

*καίτοι πᾶς τις τὸ γυναικεῖον φῦλον κακὰ πολλ' ἀγορεύει,*
*ὡς πᾶν ἐσμὲν κακὸν ἀνθρώποις κἀξ ἡμῶν ἐστιν ἅπαντα,*
*ἔριδες, νείκη, στάσις ἀργαλέα, λύπη, πόλεμος.*

2) In Iliade nullae fere mulierum reprehensiones leguntur (tecte XIX 301). Ne Helena quidem, omnium malorum causa, umquam vituperatur nisi a se ipsa.

3) Vid. ante omnia hoc fr. (ap. Bergk. 29):

*δύ' ἡμέραι γυναικός εἰσιν ἥδισται,*
*ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν.*

dimittit ut cum amicis solis colloquium habeat (Plat. Phaed. pg. 60), Plato animas virorum qui nihil boni fecerunt post mortem in corpora muliebria introduci contendit. Acerbum quoque hoc est Menandri fr.:

ἀνάγκη γὰρ γυναῖκ' εἶναι κακόν·
ἀλλ' εὐτύχης ἔσθ' ὁ μετριώτατον λαβών [1]).

### b. Opiniones Euripidis.

Jam videamus quo animo Euripides fuerit in sexum muliebrem. Non alter sane poeta tot mulieres improbas nobis proposuit. Adulteras in scenam produxit Phaedram, Astydamiam (in Peleo), Stheneboeam, Aëropen (in Thyeste); puellas vitiatas Aëropen (in Cressis) Alopen Antiopen Augen Danaen Melanippen; feminas amore furentes Canacen (in Aeolo), Pasiphaen (in Cretensibus); feminas duras et crudeles Hermionen Creusam Medeam (in Medea et Aegeo), Themisto (in Inone) Ino (in Phrixo). Praeterea innumerabili sententiarum copia totum sexum vituperat, quarum acerbissimas tantum referam. Hippolytus (616 sqq.) et Iason (Med. 573 sqq.) optant ut aliunde liberi procreari possent, ita ut feminis non opus esset; chorus in Oreste (605 sq.) testatur in calamitatibus feminas semper in culpa esse [2]); nuntius in Iph. Taur. (1298) totum genus ἄπιστον vocat; in Aeoli fr. 36 (ap. Stob. 73, 13) is stultus esse dicitur qui feminas increpare desinat; Stheneboeae fr. 670 (Stob. 73. 20) haec habet:

ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων [3])
μεῖζόν σε τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν;

In Hippolyto velato aliquis Theseum vetabat mulieri fidem habere etiamsi verum diceret (Dind. fr. 443; ap. Stob. 73, 55); in Phoenice γυνὴ vocabatur ἀγριώτατον κακόν (fr. 805). Quin etiam feminae ipsae his maledictis consentiunt: Andromache (271 sqq.) affirmat nullam inventam esse medicinam contra

1) Plurimas mulierum reprehensiones Stobaeus collegit florilegii tit. 73 et 68.
2) Cf. Francogallorum in malis dictum notum: „ou est la femme"?
3) Cf. Carcini fr. ap. Athen. XIII p. 559 F.:

ὦ Ζεῦ, τί χρὴ γυναῖκας ἐξειπεῖν κακόν;
ἀρκοῦν ἂν εἴη κἂν γυναῖκ' εἴπῃς μόνον.

feminam malam, quippe quae sit viperis et igne terribilius: »τοσοῦτόν ἐσμεν ἀνθρώποις κακόν". Eodem fere modo Hermione, postquam crudelitatis suae poenituit, de iis loquitur (943—953). Etiam Medea, postquam alteram Iasonis uxorem interficere constituit, quod se non deceat inimicis derisui esse, exclamat (406):

πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν
γυναῖκες, ἐς μὲν ἐσθλ' ἀμηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται [1]).

Jam vero videamus quid de illis in bonam partem dixerit. Primum multas in pulpitum induxit summis virtutibus instructas et ornatas. Alcestidem, ut maritum servet, voluntaria morte occumbentem; Andromachen summa pietate maritum colentem; Macariam Iphigeniamque ultro pro patria mortuas; Euadnen et Laodamiam (in Protesilao) mortem petentes ne maritis amatissimis sint superstites; Polyxenam, virginem generosam, fortiter e vita discedentem; quin etiam Helenam, feminam secundum novum mythum castissimam, spreto Theoclymeni conjugio non sine mortis periculo velut alteram Penelopen manentem mariti reditum!

Sententias colligenti occurrit universas mulieres saepe infelices vocari quod plerisque odio sint et promiscue omnes vituperentur (Melan. fr. 496), tum quod iis accipiendus sit quicunque maritus detur (cf. Soph. Terei fr. 517), neque ullum domesticae miseriae sit levamentum in publicis consuetudinibus, quod denique summo dolore liberos procreent (Med. 230—251). Tum etiam mulierem cum perdat maritum omnia perdere (Andromach. 373).

Non omnes esse improbas frequenter indicavit. Stobaeus (69,7) ex Alcmeone (fr. 79) citat: uxorem summam felicitatem summamque miseriam viro afferre posse, et (11) e Melanippe (fr.

1) Dr. A. A. Braut, Euripides mulierum osor num recte dicatur (Diss. phil. Berol. 1859), pg. 13 sqq. contendit Medeam εἰρωνικῶς loqui, improbantem scilicet convicia quae in feminas conjici soleant. Fac Medeam ad ea respicere, tamen non injusta censere videtur; itaque ego verba illa hoc modo interpretata velim: „nonne dicitis nos solum ad facinora molienda sagaces esse? Optime! Ego me perfectam feminam praestabo". Ironia autem nulla vocula indicatur. Reliquas quoque sexus muliebris reprehensiones ab ipsis feminis enuntiatas v. d. Braut frustra negare conatus est; Iph. Aul. v. 1394: εἷς γ' ἀνὴρ κρείσσων γυναικῶν μυρίων ὁρᾶν φάος num recte ad solum Achillem referat, incertus haereo. Nonnulli expunxerunt; in nostra quaestione utique parvi momenti est, quia Iphigenia ardore abrepta magna cum mentis concitatione loquitur.

497): nihil mala femina peius esse, verum nihil bona cumulatius perfectum [1]). Chorus in Hecuba (1183 sqq.) »Nolite'', inquit, »totum genus sine discrimine reprehendere; multae nostrum malae sunt, multae vero in malarum numero injuria habentur;" quibuscum consentiuntur Ion 398 sqq. et Protes. fr. 658.

Cum sic a communi contemptu vindicantur demonstraturque injustitia eorum, qui in totum genus promiscue invehantur, maiores quoque laudes exstant. Admetus fractus dolore rogat quid viro sit gravius quam fidam perdere uxorem (Alc. 879 sq.); ex Antigona servatur hoc fragmentum (164; ap. Stob. 67, 14, qui injuria Hippothoonti tribuit, vid. Nauck. in eius ed.):

ἄριστον ἀνδρὶ κτῆμα συμπαθὴς γυνή.

et e Phrixo (Stob. ibid. 15, Dind. fr. 819):

γυνὴ γὰρ ἐν κακοῖσι καὶ νόσοις πόσει
ἥδιστόν ἐστι, δώματ' ἢν οἰκῇ καλῶς,
ὀργήν τε πραΰνουσα καὶ δυσθυμίας
ψυχὴν μεθιστᾶσ'.

ex incerta tragoedia (ibid. 8, Dind. fr. 1041):

οἰκοφθόρον γὰρ ἄνδρα κωλύει γυνὴ
ἐσθλὴ παραζευχθεῖσα καὶ σώζει δόμους.

Quin etiam uno et altero loco feminae sexum muliebrem virili praestare dicunt. Chorus in Ione illis, qui feminas semper vituperant, dicit (1090):

δρᾶθ' . . . . .
ὅσον εὐσεβίᾳ κρατοῦμεν
ἄδικον ἄροτον ἀνδρῶν.

Similiter in Medea chorus Iasonis perfidiam respiciens exclamat (419): ἔρχεται τιμὰ γυναικείῳ γένει·
οὐκέτι δυσκέλαδος φάμα γυναῖκας ἕξει.

Et in primo vitae Euripidis summario e Melanippe (Dind. fr. 501) laudantur tres hi senarii:

μάτην ἄρ' εἰς γυναῖκας ἐξ ἀνδρῶν ψόγος
ψάλλει, κενὸν τόξευμα, καὶ κακῶς λέγει.
αἱ δ' εἴσ' ἀμείνους ἀρσένων, ἐγὼ λέγω.

---

1) Similia invenias apud. Hes. Oper. 702 sqq., Simon. Amorg. fr. 6 ap. Bergk., Soph. Phaedr. fr. 608.

Habes seriem feminarum cum nequissimarum tum probissimarum; habes magnam copiam sententiarum quibus nihil muliebri sexu perditius et abjectius esse dicitur, et rursus quibus laudibus ornatur; — quaeritur quomodo sententiae tantopere inter se repugnantes in uno homine conjunctae esse potuerint.

Ex universa Graecorum opiuione de sexu muliebri, qualem huius paragraphi initio exposui, mihi elucere videtur eos naturam mulierum minime cognitam et perspectam habuisse, quas scilicet viris multo inferiores esse ducerent nec viderent eas diversas ab illis aliis rebus excellere. Manifesto ignorabant quantarum virtutum facultas iis data sit; quare in dearum numero nullam feminam invenias virtutibus vere muliebribus ornatam; quare etiam Pericles in publico luctu feminas invitus paene commemorans (*εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς ..... μνησθῆναι*) in fine orationis (Thuc. II. 45) nihil grandius iis dicit quam hoc: *τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης Φύσεως μὴ χείροσι γενέσθαι ὑμῖν μεγάλη ἡ δόξα, καὶ ἧς ἂν ἐπ' ἐλάχιστον ἀρετῆς πέρι ἢ ψόγου ἐν τοῖς ἄρσεσι κλέος ᾖ.*

Tamen paucos Graecorum excipio: Homerum sc. et Euripidem; praeter quos nemo poetarum virtutis muliebris imaginem veram puramque proponere potuit. Noli enim me admonere virginum Sophoclearum: non solum Electra sed etiam Antigone hoc ipso a poeta laudari videtur quod potius animum virilem ostendit quam femineum, fortem eundemque tenerum [1]). Homerus vero imagines sublimes et vere muliebres nobis proposuit Andromachae, uxoris amantissimae, Penelopae fidelissimae, Nausicaae, virginis sollertis, tenerae, amabilis. Temporibus enim antiquissimis mulieres nondum cogebantur procul a viris totam vitam in gynaeceo agere velut ancillae, sed liberae, virorumque vere conjuges et filiae in atrio juxta eos sedentes mentis uae facultates excolere poterant (cf. Il. IX 340 sqq. Od. VI 182). Imagines Homericae igitur ad naturam veritatemque expressae sunt.

---

1) Etiam Socrates Xenophonteus multo rectius quam aequales feminas judicasse videtur; vide symposium II 9, ubi exponit naturam mulierum natura virorum nihil inferiorem esse, et Oeconomicum c. VII, quo assentiri videtur Ischomacho demonstranti virum et mulierem diversis virtutibus se invicem explere. Sed fortasse in his rebus aliquid ipsi Xenophonti ascribendum est, cuius in Cyropaedia (V. 1) conferatur pulcerrima imago Pantheae eiusque conjugii cum Abradata (VI. 4).

Euripides quoque optime perspectum habebat ingenium muliebre, eiusque perfectionem illustravit Alcestide Polyxena Macaria Iocaste Iphigenia. Quod id post Homerum unus fecit, fateor me huius rei nullam causam indicare posse nisi quod id tulit eius ingenium. Saepius observavimus eum animo velut praesensisse tempora posteriora; sic etiam in hac re quodammodo divinavit quales virtutes in feminis laterent, quae postea demum eluxerunt, quum sexus muliebris suo loco esset collocatus. Vix opus est dicere feminas aequales ei non exemplo fuisse, sed eum sibi et mulieres et totum familiae statum diversum proposuisse. Nam quotaquaeque matronarum Atheniensium ut Alcestis et Euadne mariti amore mota mortem petivit? Quae mater similis erat Iocastae, quae summo amore summaque auctoritate filios sibi invicem infestos in gratiam reconciliare conatur, mox in eorum corporibus se ipsa interficit? Non apud Athenienses erat

μεγάλη τυράννις ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή (Oed. fr. 547).

Non ibi erant familiae in quibus pater mater liberi arctissimis amoris vinculis conjuncti essent, qualis eius menti obversabatur cum talia eloqueretur (Androm. 418):

πᾶσι δ' ἀνθρώποις ἄρ' ἦν
ψυχὴ τέκν'· ὅστις δ' αὔτ' ἄπειρος ὢν ψέγει,
ἧσσον μὲν ἀλγεῖ, δυστυχῶν δ' εὐδαιμονεῖ [1]),

neque illuc uxores dici poterant »συμπαθεῖς" (fr. 164 Antig.) maritorumque solatium et praesidium in rebus adversis (Phrix. fr. 819 et 820). Haud dubie mente sibi effingebat mulieres non proinde ac Athenienses mentis ingeniique cultu prorsus destitutas: Phaedra certe non indocta est, quae scilicet rerum humanarum interitum commentatur (Hipp. 375 sqq.); Melanippe ridicule sapiens evasit [2]); reliquas vero, quas pinxit feminas, quamvis mente praestantes, tamen disciplinis non eruditae sunt.

Cum vero vitam conjugalem ita mutandam censeat, non mirum est improbari rationem qua vulgo matrimonia contrahebantur. Non amplius videbatur in matrimonium ducenda esse virgo prorsus ignota, a parentibus suis desponsa; itaque in Inone (fr. 406)

---

1) Cf. Danaes fr. 318, Dict. fr. 333, Oen. fr. 570, Oenom. fr. 575.

2) Chorus Medeae (1081—1089) ipse testatur se saepe cogitasse de rebus subtilioribus quam pro muliebri ingenio; has autem a Musis non prorsus alienas esse.

aliquis querebatur quod in una uxore salutis periculum sit faciundum, cum novae sponsae mores non spectatos habeas [1]). Fortasse castum quoque amorem, quo sc.

*παρθένος ἠίθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιιν*,

spectavit poeta ubi describit amorem *οὐκ εἰς τὸ μῶρον οὐδ' εἰς Κύπριν τρέποντα*, sed *ψυχῆς δικαίας σώφρονός τε κἀγαθῆς* (Dict. fr. 342, cf. Stheneb. fr. 671), quique *παίδευμα σοφίας ἀρετῆς πλεῖστον ὑπάρχει* (fr. inc. 889, vid. pg. 168); quoniam tamen valde ambigua est horum fragmentorum interpretatio, audacius inde aliquid colligere nolo. At in Achillis certe et Iphigeniae colloquio mutatam agnosco juvenum consuetudinem, et videor mihi quandam similitudinem deprehendere cum moribus verecundis erga sexum muliebrem quibus gloriabatur aetas medii aevi [2]).

Euripides igitur non velut aequales contemnebat feminas, quin etiam in eius fabulis mulieres pleraeque longe praestant viris. Intelligens igitur et pernoscens earum naturam videbat quantarum virtutum semina haberent, quid valerent ante omnia in vita domestica, sed etiam in vita publica, etiamsi a pudore et modestia virginea minime deflecterent.

»At quonam modo fieri potuit ut idem ille omnium acerrime totum genus opprobriis conspergeret?'' Quod mulierum aequalium pleraeque improbitate et nequitia erant conspicuae. Nam non solum manebant multum infra pulchram imaginem, quam sibi poeta proposuerat, sed vereor ne illis temporibus etiam *τῆς ὑπαρχούσης φύσεως* plerumque *χείρους* fuerint [3]). Quam ob causam reliqui universas mulieres contemnebant et oderant; Euripides vero quo maiora et sublimiora in iis latere sentiebat, quo magis earum naturam venerabatur et colebat, eo magis indignabatur mores feminarum aequalium. Itaque ipsum eius judicium rectius et aequius effecit ut multo saepius multoque acerbius mulieres castigaverit quam reliqui omnes [4]).

---

1) E Protesilao a Clem. Alex. Strom. 6, p. 751 hic versus servatur:

*κοινὸν γὰρ εἶναι χρῆν γυναικεῖον λέχος.*

2) Suspicor etiam Andromedam fabulam, qua postea Abderitae *ἐμάνησαν* (vid. Luc. de conscr. hist. I, 1), similes habuisse affectus.

3) An putandum est jocis obscoenis in Thesmophoriazusis Lysistrata Ecclesiazusis nihil veri subesse?

4) V. d. A. A. Braut, diss. supra (pg. 190) laudata infeliciter evincere studuit Euripidem numquam e sui animi sententia sexum muliebrem reprehendisse.

Feminas Athenienses igitur spectant convicia illa frequentia et durissima, ad earumque mores expressae sunt improbae mulieres tragicae. Tum, quemadmodum fieri potest ut aliquis, quamvis omnino aversus ab arcta morum custodia, hanc tamen quibusdam hominibus prodesse intelligat, sic Euripides multa dedit praecepta a sua mente aliena sed ad mores feminarum aequalium accommodata, velut Heracl. 476: »feminis summum decus est tacere, modestiam observare, domi manere" (cf. Meleag. fr. 525), »omnis uxor σώφρων mariti *ancilla* est" (Oedip. fr. 549). Andromach. 944 sqq.: »ne mariti sinant uxores suas ab amicis visitari; hae enim omnis mali auctores sunt, .... ianuas igitur clavibus et vectibus claudant et obserent". Alop. fr. 112 (ap. Stob. 74 17): »quid operam demus ut feminas erudiamus?

*αἱ γὰρ εὖ τεθραμμέναι πλέον*
*σφάλλουσιν οἴκους τῶν παρημελημένων*".

Sine dubio observaverat scientiam multiplicem stultis et ad vitia pronis magis nocere quam prodesse. Eodem modo mihi explicandum esse videtur mirum Andromachae ingenium, quae domini sui, cuius pater maritum suum interfecerat, serviliter amans, et monens uxori etiam spurios mariti liberos alendos esse (213—225), omnino ad feminae barbarae imaginem expressa est. Tales mores Euripides profecto non imitandos propositurus erat nisi mulieribus levibus, corruptis, depravatis.

Ab omnibus fere vitae scriptoribus [1]) Euripides traditur uxoris adulterio exacerbatus in totum sexum invectus esse. Illud adulterium non pro certo constat; Aristophanem profecto mirandum est non saepius et apertius id risisse; semel tantum tecte significat [2]).

1) In v. I, II et IV ap. Dind. poet. scen.

2) Vid. Ran. 1045 sqq.:

Eur. *μὰ Δί', οὐδὲ γὰρ ἦν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι.* Aesch. *μηδέ γ' ἐπείη,*
*ἀλλ' ἐπί τοι σοὶ καὶ τοῖς σοῖσιν πολλὴ πολλοῦ 'πικαθῆτο,*
*ὥστε γε καὐτόν σέ κατ' οὖν ἔβαλεν.* Dio. *νὴ τὸν Δία τοῦτό γέ τοι δή.*
*ἃ γὰρ ἐς τὰς ἀλλοτρίας ἐποίεις αὐτὸς τούτοισιν ἐπλήγης.*

Quae scriptor vitae citat:

*Κηφισοφῶν ἄριστε καὶ μελάντατε,*
*σὺ δὴ συνέζης ὡς τὰ πόλλ' Εὐριπίδῃ κ. τ. λ.*

argumento esse mihi non videntur.

Sed tamen sunt indicia quibus inducor ut credam tragici judicium acre de mulieribus aequalibus a propria quadam injuria originem duxisse vel saltem incrementum cepisse. Fabulae enim, quibus maxime omnium carpitur feminarum indoles, quatenus aetatem cognitam habemus (Cressae Peleus Aeolus uterque Hippolytus
415 Phoenix Medea Stheneboea), omnes ante Ol. 91, pleraeque
431—427 Ol. 87,1—88,1 compositae sunt. In fabulis quae e posteriore aetate supersunt (Oreste Ione Electra utraque Iphigenia Phoenissis Bacchis) nonnisi una vel altera reprehensio invenitur; in fragmentis quae supersunt ex eiusdem aetatis tragoediis perditis (Hypsipyla Antiopa Oenomao Chrysippo Alcmeone Cor. Archelao) nihil eiusmodi occurrit. Quare veri simile est memoriam injuriae recens acceptae eius dicteriis subesse.

Inquisitionis igitur de vita domestica summa haec est, quod poeta multo digniores partes tribuit feminis quam scriptores superiores et aequales, easque partim pinxit *οἵας δεῖ* et *δυνατὸν εἶναι*, partim *οἷαι ἦσαν*.

## § 2. *De Amicitia.*

Quoniam pro mea virili omnes res tractavi, quae Euripidi cordi fuisse videntur, hoc loco etiam de amicitia pauca submittam. Quanti momenti sit hominum consuetudo, universe indicavit iis sententiis, quibus dicit homines plerumque similes evadere iis quibus familiariter utantur (Pel. fr. 612, Phoen. fr. 809, fr. inc. 1013), quarum notissima est haec:

*φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί,*

quae in proverbium abiit.

Alcestide fabula imprimis amicorum hospitalitatem celebravit: Admetus dolore et luctu ob uxoris mortem afflictus tamen Herculem benigne excipit. Amicitiam pulcherrime illustravit Theseo et Hercule in Herc. fur. Theseus negligens parricidii *μίασμα*, quia (1234):

*οὐδεὶς ἀλάστωρ τοῖς φίλοις ἐκ τῶν φίλων,*

partem miseriae amici libenter in se vult recipere, quod cum eo etiam secunda fortuna usus fuisset ex inferis servatus. Tum Orestis Pyladisque exemplo amicitiam illustravit in Electra et Oreste et omnium pulcherrime in Iph. Taurica, ubi Pylades

pro amico mortem obire non detrectat, Orestes vero non sinit eum, utpote mente et corpore sanum, pro se, qui utroque laboraret, mortem oppetere; nam (605 sqq.):

τὰ τῶν φίλων
αἴσχιστον ὅστις καταβαλὼν ἐς ξυμφορὰς
αὐτὸς σέσωσται.

Cum his consentiunt variae sententiae, quarum nonnullas apponam. Or. 805 sq.: »Amicus familiaris, quamvis a domo et gente alienus, potior est quam mille cognati" (cf. 1055 sqq.). »In rebus adversis nihil dulcius est amico fideli" (Andromach. 985, Or. 727, fr. inc. 954, 1064). »Amici, qui non auxilio sunt in fortuna ancipiti, non veri sunt amici sed nomen tantum habent amicitiae" (Or. 454). »Amicis nihil proprium, omnia communia [1]), etiam res adversae" (Phoeniss. 243, Or. 735). Ipsa verba: κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων proverbii locum obtinuerunt; quae M. Tullius hoc modo uberius explicat (Lael. de Amic. 16, 60): »ut sit inter eos omnium rerum consiliorum voluntatum sine ulla exceptione communitas".

Talis autem amicus, qui et rerum secundarum et adversarum ultro fit particeps, est velut lucrum insperatum (El. 606 sq.), nam

φίλοι γάρ εἰσιν ἀνδρὶ δυστυχεῖ τινες;

(Herc. fur. 559, cf. Phoen. 403), quemadmodum Ovidius ait (Trist. I. 9. 5):

Donec felix eris multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Haec omnia nihil differunt a ratione qua Romani, ut e Ciceronis libro de amicitia cognosci potest, qua nos amicitiam contemplamur; neque quidquam invenitur unde cum fide conjici possit eum spectasse amicitiam qualem sibi Socrates et Plato proposuerunt qualisve Graeco more colebatur [2]). Supra (pg. 168 sq.) vidimus locos quosdam, qui videri possint ad hanc rem pertinere, prorsus incertae esse interpretationis. Idem etiam dicendum

---

1) Cf. Andromach. 867 sq., ubi ea verba a Menelao, viro abjecto, ad crudelitatem accommodantur.

2) Quid quod in Chrysippo dramate, quo repraesentavit primum in Graecia exemplum ἔρωτος παιδικοῦ, puerum amatum propter pudorem mortem sibi consciscere fecit.

est de his senariis, qui e Dictye excerpti leguntur apud Stob. Ecl. I 9, 4, 272.

Φίλος γὰρ ἦν μοι, καί μ' ἔρως ἕλοι ποτὲ
οὐκ εἰς τὸ μῶρον οὐδέ μ' εἰς Κύπριν τρέπων.
ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς ἔρως
ψυχῆς δικαίας σώφρονός τε κἀγαθῆς.
καὶ χρῆν δὲ τοῖς βροτοῖσι τόνδ' εἶναι νόμον,
τῶν εὐσεβούντων οἵτινές γε σώφρονες
ἐρᾶν, Κύπριν δὲ τὴν Διὸς χαίρειν ἐᾶν.

Quae quamdiu ignoratur a quali persona dicta sint, recte explicari non possunt.

# PARS V.

## QUID EURIPIDES DE MORTE SENSERIT.

---

## CAPUT I.

### VARIAE GRAECORUM OPINIONES.

Postquam tractavi Euripidis sententias de rerum natura, de numine divino, de rebus humanis, restat ut inquiram quid de morte senserit. De qua re eum incertissimum ferri videbimus, aliis locis alias secutum opiniones. Homerus auctor fuit vulgaris opinionis Graecorum, mortuorum manes esse velut umbras corpore destitutas et tamen eius speciem servantes, *ψυχὴν* et *εἴδωλον*, *ἄταρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν* (Il. XXIII. 104), tam tristem viventes vitam, vel potius mortem, ut Achilles earum omnium imperium posthabeat humillimi operarii vitae sub solis luce degentis (Od. XI 489 sqq.) Mortuorum judicium non habetur [1], neque igitur distinguuntur prout juste aut injuste vixerunt. Pauci tantum, qui ipsos deos nefariis sceleribus petiverant, diris suppliciis afficiuntur, ut Tityus Sisyphus Tantalus (Od. XI. 576—600); parjuri quoque duobus locis (Il. III. 278 sq., XIX. 259 sqq.) in Tartaro poenas

---

1) Od. XI. 569 Minos dicitur *θεμιστεύειν νέκυσσιν*, quod tamen minime significat eum de mortuorum vita peracta judicium facere, sed eorum lites componere et decernere; nempe versu sequenti legitur:

*οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα.*

Minos enim inter vivos judex fuerat, itaque apud inferos eodem munere fungitur, quemadmodum Hercules utrobique arcu utitur.

dare dicuntur; virtutis vero praemia nulla distribuuntur [1]), et exceptis illis, quos enumeravi, inferi omnes eadem fere utuntur fortuna. Apud poetas posteriores vero quibusdam rebus distinguuntur; in Hymno Homerico in Cererem prima deprehendimus vestigia mysteriorum, salutisque initiatis promissae; v. 480 sqq. beatus vocatur qui mysteria contemplatus sit: neque apud inferos eadem sorte utitur *ὅς τ' ἀτελὴς ἱερῶν ὅς τ' ἔμμορος.*

Etiam Sophocles loquitur de meliore conditione in qua sunt initiati post mortem [2]), Aristophanesque saepius tetigit illam opinionem (velut Pac. 375); in Ranis chorus constat e mystis (vid. v. 158 ibique Schol.).

Pindarus affirmat scelera in vita admissa apud inferos punitum iri (Ol. II. 58 sq.).

Apud Aeschylum manes non solum non mente spoliantur sed etiam creduntur de rebus humanis certiores facti amicis opem ferre [3]). Semel quoque judicii mortuorum mentionem facit quasi opinionis suo tempore prolatae [4]). Sophocles contra praeter illum de mystis locum, ubique affirmat nihil omnino ad mortuos pertinere [5]).

Quum denique commemoravero opinionem mortuos in stellas mutari, quae teste Aristophane (Pac. 832 sq.) eo tempore circumlata esse videtur, satis apparebit post Homerum varias pugnantesque sententias de morte esse ortas, neque vero mentem

---

1) Hercules sane ipse inter deos receptus est dum eius *ψυχὴ* apud inferos vagatur (Od. VI. 601 sqq.), sed magis, opinor, quod Jovis erat filius quam ob singularem virtutem. Sic Proteus praedicit Menelaum, quod Helenam Jovis filiam matrimonio teneat, in insulas beatorum transportatum iri, ubi in perpetuum vivat (Od. IV. 561—569).

2) Loco quem servavit Plut. Mor. pg. 21 sq.:

*ὡς τρισόλβιοι*
*κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη*
*μόλωσ' ἐς Ἅιδου· τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ*
*ζῆν ἔστι, τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.*

3) Choeph. 323 sqq.:

*φρόνημα τοῦ θανόντος*
*οὐ δαμάζει πυρὸς μαλερὰ γνάθος.*

cf. ibid. 189, 456 sq., Eumenid. 598 sqq.

4) Suppl. 280 sq.:

*κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος,*
*Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας.*

5) Oed. Col. 955, Trach. 1173, El. 1165 sq. 1170.

popularem solidi quidquam assecutam esse si excipias sententiam de initiatorum conditione futura, neque eruditiores communi consensu ad nova inclinasse. Restant sententiae philosophorum; schola Pythagorea, sive Aegyptios sive mysteria Orphica secuta [1]), docuit animam e vita sublimiore delapsam corpore velut carcere inclusam esse, unde morte evolans in corpora animalium transeat; quod dogma ab Empedocle receptum a Platone excultum et auctum est, a Pindaro in poesi significatum (Thren. 4).

Heraclitus non quidem μετεμψύχωσιν docuit, attamen hanc, quam homines vitam vocent potius animae mortem esse statuit, contra quam mortem vocent eius vitam. Physiologi quidam ad solas leges physicas mortem revocabant. (Diogenes Apoll. Epicharmus Democritus). Socrates universe declarabat se ignorare quae mortis sit ratio; videtur tamen censuisse in morte fieri animi et corporis separationem [2]).

---

# CAPUT II.

## OPINIONES EURIPIDIS.

Ad Euripidem ventum est. Silentio transeamus locos communes de mortis natura inexorabili, deque eius invicta necessitate [3]), ut statim videamus quid ei de mortis ratione visum sit. In rerum explicatione plerumque vulgares traditiones sibi assumpsit et etiam amplificavit, quod idem in eius opinionibus de rebus divinis observavimus. Alcestis Charonis ministerio ad inferos ducetur; Thanatos, cuius personam a Phrynicho mutuatus esse videtur (vid. Serv. ad Virg. Aen. IV. 694 et Nauck Gr. trag. fr. pg. 558), apud sepulcrum eam exspectat ut corripiat. Hecubae dormienti apparent Polydori manes; Helena et Menelaus a Proteo mortuo auxilium petunt, et ab ipso Plutone, tamquam praemium

---

1) Vid. Herod. II. c. 123, Plat. Crat. pg. 400 B. sq.
2) Plat. Apol. pg. 29 A, Gorg. pg. 524 B, Phaed. pg. 64 C.
3) Alc. 61, 112, 965 sqq., Andromach. 1271 sq., Alex. fr. 47, Aeg. fr. 10, Temenid. fr. 773. Mortis laudes et vituperationes supra collegi pg. 184.

plurimorum mortuorum, quos sua causa acceperit (Hel. 961—974). Pariter Orestes et Electra patrem mortuum invocant (El. 677—684), Eurystheus sepultus Atheniensibus favebit (Heraclid. 1026—1037); Hercules a diis Olympo receptus est (Heraclid. 910 sq.), Apollo Helenam neci ereptam in deorum societate collocat, non videlicet ut virtutis praemium ei donet, sed quod Jovis sit filia (Or. 1629—1637)[1]. Achilles post mortem in insula Leuce habitat (Andromach. 1260 sqq.). Variis locis observavimus eum saepe mysteria respicere; sic Hercules ex inferis reversus statim narrat sibi contigisse ut ibi initiatorum orgia contemplaretur (Herc. fur. 613).

Judicium universorum mortuorum fieri, quo mali aeternis afficiantur suppliciis, boni vero perpetua felicitate donentur, nusquam docuit. Aliquando tamen in morte eorum, qui virtute excelluerunt, credere recusat eos a ceteris nulla re distinctum iri. Sic in Alcestide chorus primum dubitanter optat ut uxor optima, *εἰ δέ τι κἀκεῖ πλέον ἔστ' ἀγαθοῖς*, harum rerum particeps juxta Plutonis uxorem sedeat (744 sqq.); postquam est mortua (995 sqq.) vetat eam in corporum numero haberi; sepulcrum eius velut deos coli jubet, praetereuntes viatores dicturos esse ait:

*αὕτα ποτὲ προὔθαν' ἀνδρός,*
*νῦν δ' ἐστὶ μάκαιρα δαίμων.*

Pariter chorus in Heraclidis (910 sqq.) negat Herculem igne crematum ad inferos abiisse, sed in coelo eum morari affirmat. Alibi contra dubitat num omnino quidquam ad mortuos pertineat. In eodem Heraclidarum dramate memorabilis de hac re legitur sententia summamque prae se ferens tristitiam et animi aegritudinem. Macaria enim pro patria et amicis moritura optat (591 sqq.) ut »nihil sub terra sit"; nam si mortuos quoque cura aditura sit, neminem habere quo se vertat; mortem enim optimam videri medicinam malorum. Quin etiam disertis verbis aliquando enuntiat mortem ultimam lineam rerum esse. Nam quamvis eiusmodi sententiae, qualem apud Plut. Mor. p. 110 B e Cresphonte excerptam legimus (fr. 454) »mortuos nihil valere",

---

1) Vid. insulsum verborum lusum (1635):
*Ζηνὸς γὰρ οὖσαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεών.*

qualemve in Oreste (1084) »mortuos gaudiis carere", profecto nonnisi mortuorum infirmitatem et impotentiam vivorum viribus et robori opponant, tamen quod in Troad. (631) Andromache τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον esse dicit, Polyxenamque mactatam affirmat se ita habere quasi numquam vixisset (636 sq.), vix aliter explicari potest quam si cogitamus omnem sensum omnemque rerum humanarum memoriam mortuos deficere. Ex eadem opinione manare debent ii loci quibus vituperantur nimii exsequiarum apparatus ut inutiles (Tro. 1248 sqq., Polyid. fr. 641); nam, ut in Meleagro dixit aliquis (fr. 536, ap. Stob. 98,4. 121,25):

τοὺς ζῶντας εὖ δρᾶν· κατθανὼν δὲ πᾶς ἀνὴρ
γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδὲν εἰς οὐδὲν ῥέπει,

quae omnia opinionibus vulgaribus, omnem rationem inferis gratificandi laudantibus, prorsus repugnant [1]).

Quod ad explicationes physicas attinet, breviter tantum in memoriam revocandum est quod exposui in ea parte, quae est de Euripidis philosophia naturali (pg. 51—56). Secunda pars fragmenti 836, qua dicitur unumquidque eo redire unde natum sit, comparata cum variis sententiis congruentibus, quarum quaedam a criticis injuria fortasse in νοθείας suspicionem adductae sunt, — clare et diserte profitetur opinionem morte separari corpus et animam, quorum illud redire ad terram unde formatum sit, hanc ad aethera, suam scilicet originem. Ibidem ostendere conatus sum hoc philosophema non maiorem habere cognationem cum Anaxagorae quam cum ceterorum philosophorum placitis, neque apud aequales antiquioresve quemquam inveniri nisi Epicharmum, qui idem proposuerit.

Quum quaererem quid Euripidi de universa vita videretur, monui eum mortem valde laudare, nutricemque in Hippol. (192—198) contendere homines injuria vitam amare:

δι' ἀπειροσύνην ἄλλου βιότου
κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας·
μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

---

1) Ideo σκιά in v. 2 universe significat rem vanam, non »manes" mortuorum, quales e religione vulgari vitam quandam vivere credebantur. Alc. 381, ubi Alcestis maerentem Admetum his verbis consolatur: χρόνος μαλάξει σ'· οὐδέν ἐσθ' ὁ κατθανών, significare puto: mortui mox in oblivionem abeunt.

Hanc hominum ignorationem de morte etiam maiore vi expressit notissimis his versibus:

*τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,*
*τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν κάτω νομίζεται;* (fr. Polyid. 639) [1]).

Praeclara haec sententia in memoriam redigit quorundam philosophorum effata. Itaque Plato (Gorg. pg. 492 E, 493 A) eam laudatam comparat cum noto illo placito, quod affirmet vivos proprie esse mortuos, corpus enim esse velut animi sepulcrum; quam sententiam alibi (Phaed. pg. 61 D, 62 B, Cratyl. pg. 400 C) Pythagoricis Orphicisque familiarem esse tradit.

Minime constat an Euripideae sententiae auctoritas ad aliquem philosophum revocanda sit. Solent enim eodem tempore cogitationes similes, quasi aëre circumlatae diversis hominibus ultro occurrere; itaque facile fieri potuit ut Euripides, quem de gravissimis rebus tam dubitanti animo esse vidimus, aliquando in sententiam incideret: hac demum vita peracta homines vere vivere.

Quam eum a Pythagoricis mutuatum esse certe nullo modo contenderim, quum migrationis animarum numquam mentionem fecerit. Tum Pythagorici contendentes animam nostram corpore quasi carcere inclusam esse, »ὡς ἔν τινι φρουρᾷ" (Plat. Phaed. pg. 62 B), subjecerunt nulli licere ex hoc carcere se ipsum voluntaria morte liberare. Huiusmodi vetitum autem apud Euripidem nusquam invenitur; quamquam non tam frequens in eius fabulis occurrit mors voluntaria ac in fabulis Sophocleis, tamen Iocaste (in Phoeniss.) Phaedra (in Hipp.) Euadne (in Suppl.) dolore et luctu oppressae ultro ad inferos descendunt, neque apud amicos cognatosque in ullam reprehensionem incurrunt.

»At Theseus Herculem vetuit voluntariam mortem petere, persuasitque ei ut secum potius Athenas proficisceretur".

Hoc sane fecit Theseus; sed vide, quaeso, quibus argumentis usus sit. Nam mitto quod etiam vulgaris mythus de Herculis morte obstabat quominus Euripides eum sibi ipsum vim inferre

---

1) Et paulo diverse (Phrix. fr. 830):

*τίς οἶδεν εἰ ζῆν τοῦθ' ὃ κέκληται θανεῖν,*
*τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βροτῶν*
*νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ' ὀλωλότες*
*οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά.*

faceret. Theseus autem non omnino mortem voluntariam vituperat, sed demonstrat Herculem, qui tantos labores tulerit, non decere vita migrare, ubi ipsa vitae perfunctio difficillimum laborem praebeat. Ipse quoque heros Thesei oratione velut in vitam revocatus non affirmat se metuere ne peccaturus, sed ne ignaviae culpam sibi contracturus sit, si mortem ultro petat. Hoc igitur consilium nullam cum disciplina philosophica cognationem habere videtur.

Itaque Euripidis sententiam supra relatam non e fonte Pythagorico repetendam esse puto. Potius conferam sententiam Heracliti, in libro *περὶ Φύσεως*, quem Euripidi ad manum fuisse supra (pg. 22) vidimus, docentis divinam hominis partem, cum materia vili in vita conjunctam, morte liberari; nostram vitam esse deorum mortem, nostram vero mortem eorum vitam [1]).

Exemplis demonstravi Euripidem aliis locis aliter de morte disserere, modo mythologice, modo physice, modo philosophice. In iis rebus, quae ad traditas personas scenicas maxime pertinent, vulgares opiniones plerumque servavit, quamquam verisimile est eum, quoties diligentius cogitare coepisset, iis non amplius fidem habuisse.

Sententiae eius philosophicae et physicae non omnes inter se pugnant. Is qui putat animam morte a corpore dissolutam redire in aethera unde nata sit, sibi constans dicere potest: *τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω*, et ne tunc quidem secum pugnat ubi ait: *τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστι κατθανεῖν κ. τ. λ.* Verumtamen poeta ipse haud dubie has sententias cogitatione numquam continuavit et conjunxit, neque ex eodem fonte repetiit. Quum praeterea opinio illa de solius Alcestidis beatitate futura vix copulari possit cum illo omnium animarum reditu in universum aethera, praestat statuere poetam sententiae incertum, prout ratio loci suaderet, — velut in Alcestide fabula ut haec virtutis praemium accipere crederetur, in Troadibus ut solatium afferri posset Hecubae cet., — diversa enuntiasse et laudasse.

1) Apud Hippol., refut. IX. 10: *ἀθάνατοι θνητοὶ, θνητοὶ ἀθάνατοι, ζῶντες τὸν ἐκείνων θάνατον, τὸν δὲ ἐκείνων βίον τεθνεῶτες*, cf. Zeller I pg. 646 sq.

# EPILOGUS.

Siquis in aliqua regione aliquamdiu moratus est eamque bene cognoscere studuit, priusquam discedat, duce intimo quodam animi motu eam e loco eminentiore postremum oculis collustrare solet. Sic nobis in fine libelli disputationis summam brevissime repetere libet.

Apparuit igitur ante omnia Euripidem non fuisse ea ingenii constantia et subtilitate ut in cogitando ratione et via procederet, verum ut poetam magis quam philosophum obiter tantum omnia delibasse.

Educatus et adultus iis temporibus, quum religio mores vivendi rationes traditae jam inveterascerent, inter primos eas vituperavit, auctoritatemque earum plerumque vana opinione niti demonstravit; sed cum nova ipse tentaret, id ipsum quod ingenii subtilitate carebat et antiqua prorsus relinquere nec poterat, quippe poeta, nec audebat, effecit ut in summis rebus nihil solidi assequeretur, et modo hoc modo illud dicens, prout suadebat ratio eius rei qua occupatus erat, sibi ipse minime constaret.

Sententias ad rerum naturam pertinentes paucas et simplicissimas non ex alicuius philosophi schola, sed e naturae contemplatione et e variarum disciplinarum poeseosque antiquae cognitione hausit.

Ab opinionibus popularibus de rebus divinis diu non descivisse videtur. Postquam vero ei persuasum est deum oportere probum esse, deos populares acriter reprehendere coepit. Quum tamen ipse frustra quaereret qualis esset natura deorum, neque quidquam proficeret nisi quod rei obscuritatem perspiceret, aetate provectior religionem popularem impugnare desiit.

De morte quoque nihil certi statuit; modo vulgari Graecorum ratione de ea locutus est, quamquam hoc fortasse personis scenicis tantum accommodavit, — modo ad leges physicas eam revocavit, modo enuntiavit quam nos mortem appellemus, eam fortasse veram esse vitam.

Nec magis virtutem optimamque vivendi viam definivit. Partim consentiens cum aequalibus σωφροσύνην maxime omnium commendavit; partim vero naturae et cuiusque hominis indoli multo maiorem vim tribuit quam legibus et institutis, et quum ita clarius quam utilius intelligeret magisque quam cives sui excusaret siqui in voluptates ruerent, contra frequenter fabulis illustravit castimoniam et humanitatem multo maiorem quam commendabant praecepta vulgaria.

Quum sic in rebus gravioribus, quamvis nullas leges certas constitueret, tamen exstirpando antiquas opiniones ad novarum semina recipienda animos praepararet, tum in rebus levioribus ipse haec semina jecit. Acrius et frequentius quam reliqui poetae vitae vanitatem et miseriam exposuit; ingenia et animos tantum colenda esse docuit, corporis vero cultum parvi esse pretii; et exemplo suo et verbis vitam otiosam probavit. Divitias generisque nobilitatem nihili faciendas esse docuit; servos quoque nonnisi nomine ab ingenuis differre; in virtute solam esse nobilitatem. Naturam muliebrem denique multo melius quam cives sui perspexit; atque id ipsum quod clarius videbat feminas omnino maximi esse pretii, summarumque virtutum semina iis innata esse, effecit ut etiam multo magis quam reliqui scriptores feminas, quales revera essent, castigaret et vituperaret.

Si reputamus hisce accedere quod etiam artis tragicae naturam atque indolem mutavit, quamvis non satis ingenio valeret ut abjectis formis antiquis et molestis novas easque aptiores crearet, — intelligemus eum passim novas vias aperuisse et ad opiniones recentiores propius accessisse.

Itaque factum est ut summa auctoritate et gratia apud posteros floruerit inque eorum moribus formandis maximam vim habuerit. Poetae comoediae novae laudibus eum ad coelum extulerunt; Alexander Magnus eum sedulo lectitavit; Aristoteles magna ex parte ex eo sumpsit artis tragicae leges. Pictores ex eius fabulis

exempla sibi petiverunt. Cantica omnibus in ore sunt, sententiae philosophicae et morales ubique circumferuntur. Chrysippus iis scripta sua opplevit, scriptores Christiani eas frequentissime citant. Romani eum assidue legunt, imitantur, vertunt barbare. Ennius philosophica quaedam ad verbum expressit; M. Tullius quoque ab eo plurima praeclare dicta laudat, Latineque vertit; Quintusque frater ad Tironem de eo scribit: »cui tu quantum credas nescio, ego certe singulos versus singula testimonia puto". Tum poetae tragici Francogalli aetatis multo recentioris, quamquam purae artis exempla potius e ceterorum tragicorum Graecorum operibus petenda erant, tamen Euripidem sibi imitandum esse intellexerunt, quod ad recentiorum hominum intelligentiam et mores propius accederet.

Integrum librum possit complere siquis Euripidis auctoritatem apud posteros investigare et ad levissima usque persequi voluerit.

Ego vero finem tandem imponam scriptioni meae, qua spero me ad cognoscendum Euripidis ingenium aliquid contulisse.

---

# THESES.

## I.

Quod in Heraclidis Demophon pro Theseo prodit Heraclidarum patronus, id argumento est hanc fabulam post Herculem furentem et Supplices fuisse actam.

## II.

Injuria v. d. Stallbaum et Fischer putant apud Platonem in Apol. Socratis (pg. 26 E) his verbis: ἃ (dogmata Anaxagorea) ἔξεστιν ἐνίοτε, εἰ πάνυ πολλοῦ, δραχμῆς ἐκ τῆς ὀρχήστρας πριαμένοις Σωκράτους καταγελᾶν, ἐὰν προσποιῆται ἑαυτοῦ εἶναι, significari repraesentationes fabularum Euripidearum et Aristophanearum.

## III.

Aristophanis Nubes in scena ceciderunt ob falsam Socratis imaginem in fabula expressam.

## IV.

E parabasi Avium Aristophanis argumentum minime leve peti potest ad demonstrandum cosmogoniam Orphicam συνήθη, quae vocatur, aetati Onomacriti ascribendam esse.

## V.

In Hippia minore (inde a pg. 372 usque ad finem) Socrates falso utitur argumento ad probandum eum, qui conscius peccet, praestare ei, qui invitus peccet.

14

## VI.

Errat v. d. Müller Strübing ubi contendit (Aristoph. u. d. hist. Kritik pg. 636—639) ἀρετὴν apud Thucydidem nihil significare nisi vim et vigorem in consiliis exsequendis (»energisches, rücksichtsloses Verfolgen eines bestimmten Zweckes"), neque igitur apud hunc scriptorem VII 86 διὰ τὴν πᾶσαν ἐς ἀρετὴν νενομισμένην ἐπιτήδευσιν, verba ἐς ἀρετὴν delenda sunt.

## VII.

Aesch. Prom. 848:

Prom. ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα
[ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον].

Pro τίθησιν ἔμφρονα Elmsleius recte legit: τίθησ' ἐγκύμονα.

## VIII.

Aesch. Agam. 1338:

Cho. νῦν δ' εἰ προτέρων αἷμ' ἀποτίσει
καὶ τοῖσι θανοῦσι θανὼν ἄλλων
ποινὰς θανάτων ἐπικρανεῖ.

Cum Cantero θανοῦσι mutandum est in κανοῦσι.

## IX.

Aesch. Choeph. 904:

Or. ἕπου, πρὸς αὐτὸν τόνδε σε σφάξαι θέλω.
καὶ ζῶντα γάρ νιν κρείσσον' ἡγήσω πατρός·
τουτῷ θανοῦσα συγκάθευδ', ἐπεὶ φιλεῖς
τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν δὲ χρῆν φιλεῖν στυγεῖς.

Ultimi duo versus spurii sunt.

## X.

Soph. Elect. 150:

El. ἰὼ παντλᾶμον Νιόβα, σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεόν,
ἅτ' ἐν τάφῳ πετραίῳ
αἰαῖ δακρύεις.

Emenda αἰεὶ δακρύεις.

XI.

Eur. Heracl. 1022:

Alcm. κτανοῦσα γὰρ
τόνδ' εἶτα νεκρὸν τοῖς μετελθοῦσιν φίλων
δώσω· τὸ γὰρ σῶμ' οὐκ ἀπιστήσω χθονί.

Restituendum est ἀ π ο σ τ ή σ ω χ θ ο ν ό ς.

XII.

Eur. Herc. fur. 534:

Meg. διολλύμεσθα· σὺ δὲ γέρον σύγγνωθί μοι,
εἰ πρόσθεν ἥρπασ' ἃ σὲ λέγειν πρὸς τόνδ' ἐχρῆν.
[τὸ θῆλυ γάρ πως μᾶλλον οἰκτρὸν ἀρσένων
καὶ τἄμ' ἔθνησκε τέκν', ἀπωλλύμην δ' ἐγώ.]

Herc. Ἄπολλον· οἵοις φροιμίοις ἄρχει λόγου.

Deleantur versus uncinis inclusi.

XIII.

Eur. Hecub. 1183:

Cho. μηδὲν θρασύνου, μηδὲ τοῖς σαυτοῦ κακοῖς
τὸ θῆλυ συνθεὶς ὧδε πᾶν μέμψῃ γένος.
πολλαὶ γὰρ ἡμῶν αἳ μὲν εἴσ' ἐπίφθονοι,
αἳ δ' εἰς ἀριθμὸν τῶν κακῶν πεφύκαμεν.

Ultimi versus sic legantur:

πολλαὶ γὰρ ἡμῶν αἳ μέν εἰσ' ἐπίφθονοι,
αἳ δ' ἐ κ τ ὸ ς ἀ ρ ι θ μ ο ῦ τῶν κακῶν πεφύκαμεν.

XIV.

Xenoph. Apol. Socr. c. 23:

εἴ που εἰδεῖέν τι χωρίον ἔξω τῆς Ἀττικῆς ἔνθα οὐ προσβατὸν θανάτῳ.

ἔνθα male abundat.

## XV.

Aristot. de art. poet. c. 17 pg. 1455 *b*: *τὸ δὲ ὅτι ἀνεῖλεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν ἐκεῖ καὶ ἐφ' ὅ τι δὲ, ἔξω τοῦ μύθου — ἐλθὼν δὲ καὶ ληφθεὶς θύεσθαι μέλλων ἀνεγνώρισεν — εἴθ' ὡς* Εὐριπίδης *εἴθ' ὡς* Πολύειδος *ἐποίησεν, [κατὰ τὸ εἰκὸς εἰπὼν, ὅτι οὐκ ἄρα μόνον τὴν ἀδελφὴν ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἔδει τυθῆναι] — καὶ ἐντεῦθεν ἡ σωτηρία.*

Ibid. c. 25 pg. 1461 *b*: *ὅλως δὲ τὸ ἀδύνατον μὲν πρὸς τὴν ποίησιν ἢ πρὸς τὸ βέλτιον ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνάγειν [πρός τε γὰρ τὴν ποίησιν αἱρετώτερον πιθανὸν ἀδύνατον ἢ ἀπίθανον δυνατόν]· καὶ δυνατὸν οὐ * * τοιούτους εἶναι, οἷον* Ζεῦξις *ἔγραφεν, ἀλλὰ βέλτιον· τὸ γὰρ παράδειγμα δεῖ ὑπερέχειν.*

Expungantur verba uncinis inclusa, utpote emblemata e locis superioribus repetita.

## XVI.

Caes. de bello Gall. II c. 11:

Ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium.

Pro »quantum fuit" legendum est »*quantam tulit*".

## XVII.

Ibid. II c. 17:

. . . . quidam ex his, ut postea ex captivis cognitum est, eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta nocte ad Nervios pervenerunt.

Post verba »eorum dierum" aliquid excidit; lacunae explendae causa inserendum censeo »*usu*"

## XVIII.

Ibid. III c. 2:

Primum, quod legionem neque eam plenissimam detractis cohortibus duabus et compluribus singillatim, qui commeatus petendi causa missi erant, propter paucitatem despiciebant.

Post »legionem" excidit »*unam*".

## XIX.

Ibid. III c. 8:

Quod et naves habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam navigare consuerunt, et scientia atque usu nauticarum rerum reliquos antecedunt et in magno impetu maris atque aperto, paucis portibus interjectis, quos tenent ipsi, omnes fere qui eo mari uti consuerunt habent vectigales.

Scribendum »in magno impetu maris »*vasti atque aperti*".

## XX.

Ibid. IV c. 16:

Tantum esse nomen atque opinionem eius exercitus Ariovisto pulso et hoc novissimo proelio facto etiam ad ultimas Germanorum nationes, uti opinione et amicitia populi Romani tuti esse possint.

Ejiciantur verba »*opinione et*".

## XXI.

Cic. de fin. bon. et mal. I 2, 4:

Quis tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut rejiciat, quod se isdem Euripidis fabulis delectari dicat, [Latinas literas oderit].

Verba uncinis inclusa aut spuria aut graviter corrupta sunt.

## XXII.

Ibid. III 16, 12:

Sed eos, qui in aliquo honore sint, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit, ad regium principatum.

Tollendum emblema »*ut secundus sit*".

## XXIIII.

Cic. de Div. I 18, 35:

Utar ergo, nec adducar, aut in extis totam Etruriam delirare aut eandem gentem in fulgoribus errare aut fallaciter portenta interpretari.

Post »adducar" excidit aliquid; explendum censeo »*ut rear*", quae verba ascripta sunt in margine unius codicis, ubi vitiose legitur »adducat".

## XXIV.

Tac. Annal. XI 10:

Qui dolo ante composito incautum venationique intentum interfecere, primam intra juventam, sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares quam metum apud hostes quaesivisset.

Inter, corrige »*infra*".

## XXV.

Ibid. XVI 21:

Quia idem Thrasea Patavii] unde ortus erat ludis cetastis a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat.

»Cetastis" corruptum est; collato Suetonii vit. Calig. c. 20 emendandum est »*asticis*".

## XXVI.

Quintil. X 3, 10:

Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus et provideamus et ferentes equos frenis quibusdam coerceamus.

Scribendum: »provideamus *ut ferventes*".

---

# INDEX.

---



